

Handwritten text on the spine, possibly a title or volume number, including the letters 'A' and 'E'.





918.

V. 10. 4.





GUBERNANTE CHRISTO  
*Unico Ecclesiæ Hierarchâ, Monarchâ,*  
*Clavarchâ,*  
 DISPUTATIONEM THEOLOGICAM  
 DE  
**POTESTATE**  
**ECCLESIÆ,**

Ex indultu  
*Reverendissimæ Facultatis Theologicæ*  
 Sub MODERAMINE  
 DOCTORIS - THEOLOGI  
**DN. GEORGII LEHMANNI,**  
 SS. Theol. Prof. Publ. Consistorii Elector. ac  
 Ducal. Assess. Ad D. Nicolai Superintendentis, ac  
 Facultatis suæ p. t. Decani  
 Mecœnatis, Præceptoris, Patroni ac Hospitis sui  
 exoptatissimi, filiali observantiæ cultu ætatem usq;  
 devenerandi,

*Solenniter habebit*  
**M. CHRISTIANUS Hoffkuntz /**  
 Sagano-Silesius.

A. & R.  
 Ad d. XV. Sept. Ao. M. DC. LXXVI.  
 H. L. Q. C.

---

LIPSIÆ, LITERIS COLERIANIS.



8

ILLUSTRISSIMO. PARITER. AT-  
QUE. EXCELLENTISSIMO.  
DOMINO.  
DN. CAROLO. L. BARONI.  
DE. Friesen /  
DYNASTÆ. IN. Rôthau, Kotta,  
Geschwitz, &c.  
SERENISS. AC. POTENTISS. ELE-  
GTORIS. SAXONIÆ. JULIÆ. CLIVIÆ. AC,  
BERGÆ. &c. &c. CONSILIARIO. INTIMO. COMITI  
ET. PROTO-SYNEDRII. DRESDENSIS. PRÆSI-  
DI. EMINENTISSIMO.

DOMINO. MEO. GRATIOSO.

---

LIPSIÆ. P. T. C. COLLEGIIS



NEC. NON.

SUMME. REVERENDIS. NOBILISSIMIS. AMPLISSI-  
MIS. CONSULTISSIMIS. A. G. EXCELLENTISSIMIS.

DOMINIS.

DN. MARTINO. GEIERO. DO-  
CTORI-THEOLOGO. CONSUMMA-  
TISSIMO. ET. DE. UNIVERSA. ECCLESIA.  
CHRISTI. IMMORTALITER. MERITO. EJUSD. SEREN.  
ELECTOR. CONSILIARIO. ECCLESIASTICO. CONCIO-  
NATORI. AUL. PRIM. ET. CONFESSORARIO.

DN. CHRISTOPHORO. PINCKERO.  
JCTO. IN. APPELLATIONUM. JUDICIO. ELE-  
CTORALI. CONSILIARIO. SCABINATUS. LIPSI-  
ENSIS. ASSESSORI. ET. REIPL. PATRIÆ. CON-  
SULI. SPLENDIDISSIMO.

DN. GEORGIO. LEHMANNO. SS.  
THEOL. D. ET. PROF. PUBL. ELECT. ET. DUC.  
CONSIST. ASSESS. AD. D. NICOL. SUPERINTEN-  
DENTI. AC. FACULTATIS. SUÆ. P. T.  
DECANO.

DN. JOH. AD. SCHERZERO. SS.  
TH. D. ET. PROF. P. PRIM. FACULT. SUÆ. SE-  
NIORI. ING. PRÆSUL. MISN. CANONICO. ET.  
CANTORI. CONSIST. ELECT. AC. DUCAL.  
ASSESS. &c. &c.

DN. JACOBO. BORNIO. JCTO.  
IN. APPELLATIONUM. JUDICIO. ELECTORALI.  
CONSILIARIO. CONSISTORII. CURIÆ. SUPR. SCABIN.  
ET. FACULT. JURID. ASSESS.

DN. JOHANNI. SEIDELIO. FLO-  
RENT. REIPL. LIPS. ÆDILI. AC. SENATORI.  
PRUDENTISSIMO.



DOMINIS. MOECENATIBUS. EVERGE-  
TIS. PATRONIS.

ET. RESPECTIVE. PRÆCEPTORIBUS.

NUNQVAM. NON. SANCTE. SUSPICIENDIS,  
COLENDIS,

CUM. CONCEPTO. VOTO.

PERENNANTIS. FELICITATIS. COELI-  
TUS. INDULTÆ.

IN.

PUBLICO. DEVOTIONIS. DELUBRO.

AD. SACRAM. ARAM.

ILLUSTRIS. GRATIÆ. TUTELÆ. PATROCINII. AC.  
BENEVOLENTIÆ. INESTIMABILIS,

SINCERAM HANC.

SUBJECTISSMI. SERVITII. HOSTIAM.

SUMMÆ. OBSERVANTIÆ. TESSERAM.

GRATÆ. MEMORIÆ. ARRHAM.

EX. DICATÆ. PIETATIS. JUSSU.

IMMOLAT,

OFFERT.

CONSECRAT.

ILLUSTRISSIMO. ATQVE. ÆTERNIS.

NOMINIBUS. EORUM. RELIGIOSE.

ADDICTUS,

AUTOR,

M. CHRISTIANUS. HOFFKUNTZ,





*Quod Deus felix faustumque  
esse jubeat!*



Emini scio, qui vel à limine salutavit Acta Re-  
rumpl. ignota esse possunt mala, quibus Respl.  
jam inde ab Orbe condito oneravit, libido do-  
minandi avara, & πολυπραγμοσύνη seu aliena  
invadendi cupido. Modò tamen sola Respl.  
horum malorum conscia foret, neque Αλλο-  
τριοϋπισκοπία Ecclesiam invasisset, sub fuce li-  
bertatis, fidei & dexteritatis, tantò periculofior, quàm hujus  
negotia excellentiora. Improbata quidem fuit à Petro, 1. Ep.  
IV, 15. ideò tamen non extirpata. Quin potius, ut sæcun-  
dum esse solet semen malorum, ramos sparserit plurimos, in qui-  
bus præ aliis conspicui Papo-Cæsareatus & Cæsareo-Papatus,  
non à cooperatione mutua, sed prædominio nomen sortiti.  
Utriusque mentionem faciunt D. Pappus in Comm. super A.C.  
pag. 297. & D. Mylius in A.C. art. 7. abus. p. 169. Prolixiori-  
bus verbis describit Nicol. Vedelius, Professor Gröningensis  
in præf. dissert. de Episcopatu Constantini Magni, hunc in-  
modum: *Hierarchicus Papatus, seu Papo-Cæsareatus est, quan-*  
*do ministerium in dominium convertitur ἀνεπέμψονον, eiq; non solum*  
*gubernatio interna, ut par est attribuitur, sed etiam externa, & magi-*  
*stratus sub ministerium ita deprimatur, ut vel Magistratus potestas*  
*circa Ecclesiastica dependere statuatur à ministris, vel id, quod Ma-*  
*gistratui proprium est, iis attribuat, vel deniq; id, quod Magi-*  
*stratui pariter & ministris certo respectu competit, in solos ministros*  
*conferatur. Politicus Papatus, sive Cæsareo-papatus est, quando*



Magistratui potestas absoluta in rebus Ecclesiasticis defertur, & ei non solum gubernatio externa, sed & interna adscribitur, ministerii umq; ita sub eum deprimitur, ut vel illud non immediate à Christo, sed à Magistratu fluere stauatur, siue quoad substantiam ab eo dependere: Vel ut Magistratui tribuantur actiones, quæ propriæ sunt ministerii, vel ut, quod Magistratui & ministris suo modo ac diverso respectu commune est, soli Magistratui adscribatur. Exemplum prioris dedit Abjathar 1. Reg. I, 7. In N. T. Petrus, gladii evaginator in horto, ejusque in hoc successor, duplici gladio cinctus Præsul Romanus, qui eò renis velisque contendit, ut non solum Oceanus decesserit Tybri, sed & Jordanus. Ast Tyberinam hanc potestatem olim Gregorius I. Homil. 17, in Evang. in se ipso deploravit: *Ad exteriora negotia, inquit, delapsi sumus, & aliud ex honore suscipimus, aliud ex officio actionis exhibemus. Ministerium prædicationis relinquimus, & ad pœnam nostram, ut video, Episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutis tenemus, &c.* Posterioris vero Jeroboã, 1. Reg. XII, 26. & Ufia, 2. Chron. 26. Hujus fœditatem descripsit magni nominis Theologus in libello, cujus titulus Apap. hoc est, inversus Papa. Specimen ejus exhibet Biedembach dec. 8. consil. Theolog. p. 105. & jam ante querelam instituit B. Lutherus Tom. 6. Jen. p. 151. Hic sane si unquam, excessu facile peccatur. Medium tenuit, oris & vitæ professione, Imp. & Principum Christianorum Antesignanus, Constantinus Magnus, cujus res piè & gloriosè gestas dum recenset Eusebius in vita ejus, inter alia mentionem facit l. IV. c. 24. alicujus convivii, quo Episcopus Imperator, Constantinus exceperat, & inter alia se quoque Episcopum professus fuerat, hisce verbis: *Vos quidem eorum, quæ intra Ecclesiam sunt, ego autem eorum, quæ extra eam sunt, à Deo sum constitutus Episcopus.* Quod dictum in quemcunq; etiam alienum sensum torqueatur à Revio & Triglando, gesta tamen Const. M. optimi sunt interpretes. Utinam saltem mens Const. M. eadem esset omnium principum & Episcoporum, neque



neque inter aleam contentionis tamdiu mansisset potestas Hierarchiæ & Hierurgiæ Ecclesiasticæ, variis sententiis, à parasitis, partium & turbarum studiosis, vexata. Certarunt hoc certamen duo extremè adversarii, alter sub larva Walonis Messalini, Cl. Salmasius, alter Dionysius Petavius, ita tamen ut (iudice Dannhauero,) illo auctore episcopalis potestas depressius subsiderit, quam solis curationis, muneris ac oneris nominibus voluit esse contentam; hujus sufflatu justò altius in cœlum, Numini finitimum, assurrexerit. Pugnam hanc & nos tentare sustinemus. Et quanquam aliàs inter mucrones pugnantium de Potestate summa, non facilè sit incedere sine vulnere; Attamen sub protectione supremi Hierarchæ, Christi Jesu, quem devotè & humiliter in auxilium vocamus, nec non sub directione librorum canonicorum & symbolicorum, atque manu ductione gravissimorum Theologorum Orthodoxorum, inque bellis Domini exercitissimorum, quosvis ictus, quævis pericula declinare, hostesque omnes, si non compescere, saltem arcerere & profligare, confidimus. Quod si interim hæc pagellæ vel gravitati materiæ, vel desiderio tuo, Lector benevole, non satis fecerint, supplebis tamen humanitate & favore tuo. Nam etiam in magnis aliquid tentasse, sat est. Quò verò totum negotium statim ab initio conspectui Lectoris sistatur, ideo generalem quandam ideam insequentis Tractationis præmittere judicavi. Accipe igitur Potestatem Ecclesiæ tali definitione repræsentatam.

A 3

De-





*Definitio Potestatis Ecclesiae.*

POTESTAS A) ECCLESIAE  
B) est

C) Facultas moralis, D) Sacra, E) se suaque,  
F) ministerialiter & aristocraticè gubernandi, à  
G) Christo, unico Rege, & H) capite Eccle-  
siae, concessa Ipsi I) immediatè, primariò &  
quoad juris habitum, nec non K) quorundam  
actuum exercitium: L) Mediatè autem, se-  
cundariò & quoad Juris ordinarium exercitium  
tribus in Ecclesiâ statibus pro ratâ parte, quò  
[M) respectivè præter potestatem à jure Naturæ  
& gentium indultam] sua N) agant confor-  
miter Juri Divino revelato, modò in O) acti-  
bus incommunicabilibus, modo P) communi-  
cabilibus ad commune Ecclesiae ἀποτέλεσμα, in  
Ecclesiae Q) ædificationem, salutem æternam,  
Deique gloriam.

I.N.



7. N. 7.  
HYPOMNEMATA.

## §. I.

**P**OTESTAS ECCLESIAE ) Siftitur hisce (A)  
verbis definiendum, cujus nominalis præcognitio id  
intendit, ut Mens nostra nominum ambiguitate di-  
fracta, in certo quodam objecto figatur, & de hoc cla-  
rè distincteque apprehenso judicia & ratiocinia sua,  
formare valeat. Potestas verò communiter inter attri-  
buta moralia recensetur; In Sphæra autè morali potestas sive ἐξου-  
σία & potentia sive δύναμις immane quantum discrepant. Jus il-  
la, hæc tantum vim viresque notat. Habet latro δύναμιν occi-  
dendi, ἐξουσίαν nunquam. Magistratus habet ἐξουσίαν, non fem-  
per tamen δύναμιν. Illius potentia nullo jure fulcita, in morali-  
bus habetur pro nullâ, & pro impotentiâ. Hujus verò Jus, po-  
tentia conjunctum, fulmen est.

(A)  
Definitio No-  
minalis.

## §. II.

Generalissimi attributi rationem determinamus per addi-  
tum subjectum, Ecclesiam. Origines hujus vocis, ejusdemque  
variæ significationes repeti possunt ex systematibus Theologi-  
cis, & particularibus de eâ Tractatibus, ubi vis obviis. Hoc loco  
significat cætum à Deo vocatorum, non nudè, inquam, vocato-  
rum, (Matth. XXII, 3.) qui invitati non paruerunt, sed qui vo-  
cati venerunt. Nisi enim sint, qui vocationem Dei audiant,  
& sequantur, Ecclesia dici non potest, inquit Menz. Exeg. A. C.  
Art. VIII, n. 18. In cætu illo visibili hominum per Evangelium  
congregatorum sanctis admixti sunt hypocrytæ, (tritico Ziza-  
nia, Matth. XIII, 25. ovibus hirci, Joh. X, 1. vasis aureis & ar-  
genteis fictilia & lignea, 2. Tim. II, 20. &c.) quoad externam  
saltem professionem uniti cum fidelibus. Eousque nempe am-  
pliandum est subjectum, quousque se extendit ejus affectio.  
Visibilis aggregatæ Ecclesiæ membra, licet non omnia sint veræ  
Ecclesiæ membra, organa tamen esse possunt ministrantia, &  
mem-



membra comparticipantia de regimine veræ Ecclesiæ, per sensibilia media administrabili. Potestas enim hæc si suspensa foret unicè à conditione intrinsecæ unionis, omnis ejus usus exspiraret, nec tutò alicui hominum committi posset, & delegari. Confer, quæ infra de subiecto hujus potestatis ex professo tradituri sumus Lit. I.

## §. III.

Inquirimus ergo potestatem Ecclesiæ 1) visibilis, quæ 2) vel universalis, vel particularis est. Attributum conveniens toti homogeneo, Ecclesiæ universali, convenit etiam partibus homogeneis, particularibus Ecclesiis. Etiam particulares cœtus Ecclesiæ nomine dignatur Apostolus ad Col. IV, 15. 16. *Quum recitata fuerit à vobis epistola, facite ut & in Laodicensium Ecclesiâ recitetur.* Ubi nunc forma, ibi etiam necessaria consequentia formæ. 3] Ecclesiæ institutæ, inque tres ordines digestæ. Generaliter enim omnis rei natura dijudicanda est, non secundùm fieri, aut esse ejus diminutum & imperfectum, sed secundùm esse factum & perfectum. Corporis animalis naturam & qualitates omnes, fœtus immaturus non exhibet. Regimen Reipublicæ civilis ex tranquillo & ordinario ejus statu, non extraordinario, vel turbato æstimandum venit: similiter etiam Potestatem & regimen Reipubl. Ecclesiasticæ quoad omnes possibiles actus scrutaturi, statum Ecclesiæ constitutæ & plantatæ, nec non triplici ordine distinctæ nobis proponimus. Interim eo ipso, quo fundamenta & radices hujus Potestatis inquirimus in subiecto ejus immediato & primario, simul constabit, quid pressæ vel turbatæ Ecclesiæ liceat sub favore necessitatis & libertatis naturalis. Denique 4) Ecclesiæ, non Veteris, sed Novi Testamenti. Utriusque quidem communia sunt regalia, sed quatenus non obviat relationis oppositio. Illic quædam à Pontifice gerebantur typicè, cujus Antitypus cum solus sit Christus, attestante epistolâ ad Hebr. c. VII. IIX. IX. Ideò grandes paralogismos committunt, qui hæc accommodant ad ministerium N. Testamenti. Vice versâ hic in N. T. magna pars axiomatum sacerdotalium V. Testamenti translata est



est in laicos, uti infra constabit, unde laici N. T. ejusdem potestatis cum laicis V. T. censeari non possunt. Extra hanc relationis oppositionem, optimè ab ordinariâ potestate Ecclesiæ V. T. ad potestatem Ecclesiæ N. T. valet consequentia. Aberrant ergo à statu controversiæ Pontificii, in causâ probandâ supereminenti potestatis Papalis & Regiminis Monarchici, quoties exemplum Mosis, Melchisedeci, Eliæ, Maccabæorum aliorumque impertinenter allegant; Nec non quoties in causâ Magistratus circa sacra ab Ecclesiâ plantandâ & presâ, colligunt ad plantatam, & tranquillam; Cujus fallaciæ etiam rei sunt quidam ex Reformatis, ut ex infra adducendis constabit.

## §. IV.

Denique substantivum, Ecclesiæ, pro ejus adjectivo, Ecclesiastica, substituere visum fuit convenientius, 1) ad amolendam illam ambiguitatem, cui posterior vox obnoxia est. Ecclesiastica enim potestas dicitur Autoribus tum ea, quæ objectivè tantum talis est, non conditione & actibus; tum quæ subjectivè & formaliter, i. e. conditione, statu & actibus talis est. Prior denominatio est impropria; posterior tantum propria. Actus enim & potentia speciem suam sumunt, non ab objecto, sed potius à subjecto & formâ. Ex neglecto hoc denominandi fundamento sæpius Andabatarum more contra Vedelium (quem saltem in causâ communi defendimus) pugnant Revius, Voëtius, Triglandus, dum omnem potestatem Ecclesiasticam Magistratui denegant, neque eam in dicto Constantini Magni expressam videre possunt. *An enim, inquit Triglandus in præf. diff. de Civ. & Eccl. pot. contra Vedelium, pag. 17. qui extra Ecclesiam à Deo constitutus est Episcopus, potestatem habet Ecclesiasticam? Daturne potestas Ecclesiastica extra Ecclesiam? Ita fieri solet, ut posthabitis definitionibus nominalibus maxima pars disputationis in nominibus consumatur.* 2) Ad innuendam ejus originem, formam seu virtutem, subjectum habile & contentas partes. Subjectum habile in ordine ad plenarium & debitum exercitium est Ecclesia v. sibilis, & vi unionis, pro rata parte, tres in eâ status. Forma seu virtus agendi, quatenus



tenus ex hoc subjecto emanat, non est civilis, sed ecclesiastica, & sacra. Sub partialibus officiis comprehenduntur Prædicatio Verbi, administratio sacramentorum & usus clavium, ligantis & solventis, nec non alia ad horum conservationem, & ordinem exteriorum reducibilia, ut, vocatio ministrorum, rituum, & LL. Ecclesiasticarum constitutio, convocatio Conciliorum &c. Ad hanc igitur oculos & nervos mentis nostræ intendimus, ita tamen, ut simul obliquè respiciamus ad potestatem civilem circa sacra, objectivè tantum Ecclesiasticam, propter distinctionem utriusque, nec non accidentalem cooperationem in quibusdam actibus cognoscendam.

§. V.

Quantquam vero hic titulus apud Doctores sapius cum aliis commutetur, quales sunt, Jus Episcopale, Regimen Ecclesiasticum, potestas clavium, synonymici tamen non sunt. Jus Episcopale secundum decreta Juris canonici, est confusum chaos; secundum Jus publicum, aut Evangelium, inadæquatum est. Regimen Ecclesiasticum potius actualem gubernationem videtur innuere. Potestas clavium, utpote merè spiritualis, similiter est angustior. Sed misso cortice ad medullam.

§. VI.

(B)  
Existencia,

EST) Existencia talis potestatis demonstranda venit. Huc revocari possunt omnia argumenta, probantia existentiam Ecclesiæ: Quæ evictâ, potestatem ejus similiter exinde deducere in promptu est, (1) tanquam necessarium consequens, & proprium illius antecedentis & subjecti. (2) Tanquam formam indivisibilem à materiâ. (3) Tanquam medium ordinatum ad finem. Neque scriptura dubitare permittit confidentem (1) nomina pasturæ rectoris, Act. XX, 28. *ἐπισκοπίας*, 1. Tim, V, 17. (2) Rem clavis porrectæ, Matth. XVI, 19. rigorem virgæ & spiritum lenitatis, 1. Cor. IV, 21. *Data est nobis*, inquit Apostolus, *potestas ad edificationem, non ad destructionem*. 2. Cor. X, 8. XIII, 10. Propria aliàs argumenta demonstrantia existentiam Entis à priori, desumuntur ex loco causæ efficientis & finalis; à posteriori verò ex loco effectus, quibus hîc, utpote paulò inferius tractandis supersedemus, Negant existentiam hujus  
Pote.



Potestatis indirectè (1) Fanatici, qui subjectum ejus primarium, Ministerium Ecclesiasticum, è medio tollunt. (2) Sociniani, essentialem ejus partem, potestatem clavium negantes. (3) Th. Hobbius, tollens omne discrimen inter Ecclesiam & civitatem. Horum omnium enthusiasmos & vafras argutias suo loco discutiemus.

## §. VII.

FACULTAS MORALIS.) Sequitur definitio realis, (C) Definitio Realis constans (1) ex genere remoto. composita ex genere remoto, proximo, & differentiâ desumptâ 1) ab objecto, sive materia circa quam, 2) à formâ, 3) à causa efficiente, 4) à subjecto duplici, 5) ab effectu interno & externo. Generis remoti locum obtinet Facultas moralis, nempe activa. Duplex enim est potentia agendi in homine; naturalis, cujus actus editur, vel intermittitur, absque imputatione, in culpam, vel meritum; & moralis, cujus actus à voluntate procedit conformis mandato & instituto superioris, cum effectu morali imputationis. Posterior est hujus loci. Hinc Grotius potestatem Civilem describit per facultatem moralem civitatem gubernandi, lib. 1. de J. B. & P. c. 3. n. VI. §. 2. & Joh. Templero in Id. Theol. Leviath. dogm. 29. p. 235. potestas est facultas moralis, administrandi communitatem. Pro æquipollenti ejus habetur vocabulum Autoritatis. Id enim vult Herm. Conringius, cum Tractatum scripsit de Autoritate & officio Magistratus circa sacra. Æquipollet etiam vocabulum Juris, quatenus ad personam refertur. annot. Grot. l. c. cap. 1. n. IV. Ideoque per nos liceat cum Gisb. Voëtio lib. 1. Polit. Eccles. Tr. II. cap. I. p. 117. hanc potestatem definire per Jus sacrum.

## §. IIX.

SACRA.) Circa concessa breviter: sacra est 1) ratione principii instituentis, nempe Christi, 2) ratione principii normantis, solum voluntatis revelatæ, 3) ratione mediorum, verbi & sacramentorum, 4) ratione subjecti & objecti nobilioris, puta verorum Ecclesiæ membrorum, & 5) ratione effectus interni & externi, regenerationis, justificationis, sanctificationis & salutis æternæ, nec non 6) ultimati finis, qui ubique gloria DEI. Comprehenditur sub potestate hac Ecclesiastica sacra, (D) 2) Ex genere proximo, pote-



potestas spiritualis sive divina, formaliter sic dicta, quæ per supernaturalia media spirituale animæ bonum immediatè producit. Ejus partes sunt potestas regenerandi per verbum & sacramenta nec non potestas clavium specialiter sic dicta. Hinc effectus ejusdem vocantur beneficia spiritualia, *πνευματικά*: *Desidero videre vos, ut aliquod impertiar vobis donum spirituale, quo confirmemini.* Rom. 1, 11. Et ad Eph. 1, 3. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri J. C. qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus, Christo.* Subjectum ejus ordinarium sunt Ministri Ecclesiæ: *si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est &c.* 1. Cor. IX, 11. Sicuti autè vox Ecclesiæ latior est, quàm vox baptizandi, sanctificandi, salvandi, quippe simul ea, quæ Jurisdictionis dicuntur exterioris esse comprehendens; Ita etià potestas Ecclesiastica extenditur ultra spiritualem, & internam, simulq; complectitur omnem curam remotiorem etiam ab effectu spiritualis & internæ potestatis, nempe instituendi, propagandi, & conservandi veri cultus atqve ministerii Ecclesiastici, quæ officia sunt pertinentia ad potestatem Ecclesiasticam externam. Conf. B. Hulsem. Brev. C. XIX. n. XVIII. & cap. XX. n. VIII. §. 4. & n. IX. §. 2. Quod accuratè observandum est contra Pontificios & Reformatos Anglicanos atqve Batavos, qui potestatem Ecclesiasticam definiunt per spiritualem, genus per speciem. Ita Triglandus l. c. in præf. p. 15. *Potestas Ecclesiastica potestas est spiritualis, sita in administratione Clavium regni cælorum, feriens ipsum animum, & afficiens intrinsecè conscientias hominum, quæ à Deo ut instrumento suo & medio utitur ad eorum conversionem & salutem.* Unde ex falsà hac hypothese omnem potestatem Ecclesiasticam, propriè & formaliter ita denominatam, denegant Magistratus, ita ut Reformati, hanc opinionem foventes, in hoc differant à Pontificiis, quod, cum hi planè nullam directricem & principalem, sed tantum executricem ipsi concedant, potestatem omnem Magistratus circa sacra Reformati isti velint esse objectivè tantum & impropriè talem, quæ tamen non dependeat à nutu Ministrorum Ecclesiæ, sed ex instinctu officii proprii & præscripto Verbi divini, Conf. Revius in Examine diff. Vedel. p. 25, 26. & seqq. Cæterum per hanc ipsam formalitatem distingvitur simul potestas



ftas Ecclesiæ à potestate seculari & civili, cujus utriusque plenior distinctionem infra exhibituri sumus.

## § IX.

SE SUA QVE.) Objectum insinuatur, in quod agat, hæc potestas, per media sua effectum homogeneum introducendo, vel circa quod occupetur, illud quocunque modo ordinando ad finem ab Ecclesia intentum. Finis enim Reipublicæ & Potestatis dirigentis coincidunt. Media autem & finis Potestatis Ecclesiasticæ respiciunt Bonum Ecclesiæ militantis & visibilis, particularis & universalis. Objectum ergo potestatis Ecclesiasticæ (subjectivè sic dictæ) esto tota communitas in professione fidei Christianæ externâ unita, quatenus five remotè & extrinsecè, five proximè & intrinsecè dirigenda est in finem suum supernaturalem, beatitudinem æternam. Ita enim actus & objectum sibi commensurantur. Et per consequens, quam latè patet Ecclesia visibilis in his terris, tam latè quoque regimen ejusdem. Sicuti autem aliàs Jus civitatis acquiritur consociatione; ita etiam hîc in civitate Dei jus acquiritur unione externâ; ususfructus tantùm internâ unione Fidei & spiritus. Diversitas effectus dependet à diversitate objectorum. Omne agens agit juxta receptivitatem patientis. Quod quidam convertantur, alii non, causa non est penes ministros Verbi Divini, sed penes hominem malitiose repugnantem. *Israël perditio tua ex te. Ose. XIII, 9. Omnia feci, quæ poterant fieri vineæ meæ, adeo ut nihil restaret ei faciendum amplius & tamen labruscas tulit, EA. V. 4. Omnibus quidem annunciatum est, sed non omnes obediunt Evangelio. Rom. X, 16. Nobiliora igitur objecta sunt fideles, etiam catechumeni, qui licet nondùm ex toto, quoad jus in re, omnibus Ecclesiæ thesauris fruantur: Tamen non solo voto sed fide jam e verbo imbuti, jus obtinent ad rem, annotante Dannh. Hodosoph. phæn. 2. pag. 118. Ignobilia verò hypocritæ, schismatici non malitiosi, hæretici & peccatores non manifesti, scil. vel ut elencho sacro & potestate clavis ligantis confundantur & corrigantur, vel exterminentur, secundum illud Pauli, 2. Cor. X, 6. *In promptu habemus vindictam adversus omnem inobedientiam.* Hîc igitur nemo exemptus est à subjectione*

(E)

Differentia,  
desumpta (1)  
ab objecto



ne quoad animam & spiritualia, modo frater appelletur, 1. Cor. V, 11, Hic nulla est differentia inter servum & liberum, masculinum ac feminam. Gal. III, 28. Potestas spiritualis ergo omnimundanà est eminentior, & summus princeps subditus est pastorum ratione officii didascalici, elenchtici, epanorthotici. Hinc Eglon, cum Ehud in actu legationis constitutus diceret: *Habeo aliquid divini ad te*, surrexit è solio. Jud. 11, 20. De his pluribus infra agendum erit. Confer Hulsem suppl. Cap. XX, n. III, §. 6.

## §. X.

Interim, quæ hæctenus dixi de amplitudine objecti, intra Ecclesiæ limites conclusi, ita sunt intelligenda, ne aliquid derogetur Ecclesiasticæ potestati Magistratus Christiani, quæ quoslibet cives subditos diversæ religionis, moraliter, non vi coactivâ, compellere potest ad intrandam Ecclesiam, quatenus eos ad audiendum verbum Dei seriò adhortatur, salvis tamen peculiaribus transactionibus. Quapropter etiam civis Reipl. objectum erit, sed inadæquatam, potestatis Ecclesiasticæ externæ.

## §. XI.

Hæctenus seipsam; deinde etiam sua, id est, Bona Ecclesiastica administrat Ecclesia vi potestatis suæ. Conditionem objecti personalis sequitur objectum reale: Et ex jure in personas, communiter statuunt Moralistæ provenire jus in res. Curabit ergo Ecclesia etiam bona ecclesiastica; Hæc tamen annotante Reink. de reg. Eccl. clas. 1. cap. X. n. 14. differunt à bonis Ecclesiasticorum, quæ vel privato patrimonii jure, ut alii cives & municipes habent, vel per aliam viam juris civilis acquirunt. Ratione horum bonorum sicuti non immunes sunt ecclesiasticæ personæ ab oneribus & tributis, ita cura eorundem non pertinet ad Ecclesiam, sed ad Politiam.

## §. XII.

In hoc objecto legitimo acquiescit potestas veræ Ecclesiæ; minimè verò plenitudo potestatis Pontificiæ, super omnia loca & subjecta extensa; In specie 1) super Angelos bonos, quibus Clemens V. ex plenitudine potestatis pontificalis imperabat  
in



in Bullâ seu indulgentiâ sua Romipetis concessa Anno 1313. cu-  
 jus exemplum ex libro M. S. Exconsulis Ultrajectini edidisse  
 Joh. Hornbeck, testatur Gisb. Voëtius lib. 1. Polit. Eccl. Tr. 11.  
 c. 6. p. 235. Similis cujusdam Bullæ, à Clemente VI. Anno 1350.  
 divulgatæ, ex Joh. Balæi cent. 4. script. Britann. meminit Dannh.  
 Hodom. pap. phantasm. II. p. 651. Cujus inter alia hæc sunt  
 verba : *Prorsus mandamus angelis paradisi, quatenus animam à*  
*purgatorio penitus absolutam in paradisi gloriam introducant.* 2) In  
 Dæmones, quorum adjuratio & ejectio objectum est potestatis  
 Ecclesiasticæ, per exorcistas & sacerdotes, ordinarios in Eccle-  
 siâ Pontificiâ ministros exercendæ. Conf. Gretser. de Bened.  
 cap. 7. pag. 89. Agenda Colon. p. 254. & seqq. p. 271. & seqq.  
 Thesaurum Exorcismorum Colon. ed. Anno 1626. Cujus ta-  
 men objecti proprietatem nec hæreditariam esse Ecclesiæ, neq;  
 unquam per supersticiosos ritus, in Ecclesiâ Romanâ receptos,  
 atque ex opere operato efficaces, à viris Apostolicis assertam si-  
 bi fuisse, sed præterea unâ cum ipsis ad modum reliquorum do-  
 norum miraculorum exspirasse, perspicuè ostendit Dannh.  
 im 2. Theil des Scheid- und Absag-Brieffes an den Cöllnis-  
 schen Priester / in der 3. Frag / ob und wo / an und in wels-  
 chem Orte heutiges Tages die gebietende Gewalt / Teuf-  
 sel auszutreiben / daheim und zu finden? pag. 102. 3) In  
 animas beatas & Ecclesiam triumphantem, ut patet ex canoni-  
 catione Sanctorum, & quorundam degradatione, de quibus  
 Voëtius part. 2. disp. sel. 4) In animas putativas in purgato-  
 rio, quas è purgatorio liberat per indulgentias. Denique 5) in  
 Gentes non solum fideles, sed & barbaras & infideles, super  
 quas pastorale pedum extendebat Alex. VI. cum eas tanquam  
 donum suum inter Castilianos & Lusitanos partiretur Anno  
 1493. Extat bulla donationis apud Fr. Lopez de Gomara  
 l. 1. hist. general. c. 19. Quâ tamen nil nisi ludibrium meruit  
 apud Atabalibam, Regem Peruanum, quod aliena tam liberali-  
 ter largiatur, teste Hieron. Benzone hist. nov. orb. l. 3. p. 281.  
 Amplissima sane est Potestas Pontificis Romani, si hæc omnia  
 in rei veritate sic sese habent; Amplior potestate Apostolica  
 Paulina, ad quam ne attinebat, quidem judicare de his, qui foris  
 sunt,



sunt, 1. Cor. V, 12. multò minus ergò, imperia exterorum transferre.

## §. XIII.

(F)  
2) A forma.

MINISTERIALITER & ARISTOCRATICE GUBERNANDI.) Forma & qualitas Regiminis Ecclesiastici explicanda venit. Hæc duplex est, externa & interna, propter duplex objectum, ordinem externum, & media interna, spiritualia. Prior consistit in ceremoniis, ritibus & traditionibus Ecclesiasticis, expresso verbo Dei nec prohibitis, nec mandatis, sed ordinis, decori & ædificationis gratiâ ex libera voluntate ab Ecclesiâ institutis, quibus ideo, quamdiu tales sunt, liberè & absque conscientiæ vulnere, uti vel non uti potest. Ita Apol. A.C. Art. VIII. & XIV. Form. Conc. Art. X. Eiusdem Repetit. Art. X. Utilis tantùm est ad externam & feliciorum visibilis Ecclesiæ subsistentiam, pædagogiam & iudicium. Conf. Balth. Meisn. Coll. Adiaph. Disp. 1. Non necessaria simpliciter ad Ecclesiæ constitutionem. Potest Ecclesia eclipsin pati, & temporario ejus usu carere, ita tamen ut jure & possessione restaurandi ordinati regiminis & disciplinæ non careat, consentiente Voëtio l. c. cap. 7. Et ideo quia à libertate Christianâ dependet, non eadem ubique obtinet, sed variat sæpius pro varietate Ecclesiarum particularium. Confer hic omnio constitutiones Ecclesiasticas Serenissimorum Electorum & Principum Saxonix, nec non Civitatis Argentorati, collectas ab Ahasv. Fritschio part. 3. Juris Eccles. Hanc pro præsentemittimus.

## §. XIV.

Solliciti tantùm sumus de forma essentiali, interna & immutabili, mediorum salutis administrationem concernente. Tripliciter autem considerari potest; vel in ordine ad conferentem Christum, Regem spiritualem Montis Sionis seu Ecclesiæ; ubi purè ministerialis, non architectonica; Vel in ordine ad subditas animas, quâ ratione ministerialis, & simul episcopalis, non dominans; Vel in ordine ad cooperarios, & sic imitatrix est formæ Aristocraticæ, non Monarchicæ. Hinc formam, gubernationis ecclesiasticæ tribus exhibemus propositionibus.

Sit



Sit igitur Propof. 1] *Omnis potestas Ecclesie interna & externa est pure ministerialis & delegata, non suprema, absoluta, architectonica, principalis.* Patet prius ex appellationibus, ordini ecclesiastico attributis. (A potiori enim fit denominatio; & omne primum est norma reliquorum.) De Judà proditore ad Apostolatam vocato, dicit Petrus: *Connumeratus erat nobis, & accepit sortem.* seu partem διακονίας ταύτης, ministerii hujus. Act. I, 17. De seipso Paulus Rom. XI, 13. *quamdiu sum Gentium Apostolus ministerium meum honorificabo.* Conferantur alia quam plurima loca, ubi personæ ordinis Ecclesiastici Ministri Dei, Evangelii, Christi, vocantur, 2. Cor. VI, 4. 1. Theff. III, 2. 2. Cor. XI, 23. Ephes. III, 7. &c. Attamen διακονία hominibus respectu solius Dei attributa, non excludit respectu subditorum hominum ἐξουσίαν δεσποτικὴν. Magistratus enim Politici itidem appellantur διάκονοι θεῶν, Rom. XIII, 4. & nihilominus ib. v. 1. ἐξουσίαι ὑπερέχουσιν, quibus omnis anima debeat esse subdita. Ideoque quò potestas ecclesiastica Ministrorum à potestate politicâ discernatur, ipsi ministri vocantur etiam διάκονοι τῆς ἐκκλησίας, Col. I, 25. Et in 1. Cor. III, v. 21. ubi in antecedentibus officium ministrorum explicaverat Paulus, hic subjungit: *Omnia vestra sunt.* v. 22. *sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas &c. Vos autem Christi, Christus autem Dei,* ubi notanter totus Ecclesie cœtus ministris verbi præponitur. Quod argumentum egregiè tractant Theologi Schmalcaldici Tr. de Pot. & Prim. Papæ. Neque aliter fert conditio ministrantis, qui semper inferior est eo, cui ministrat. (Aut igitur Papa est infra Ecclesiam, aut major est Apostolis.) Deinde hæc potestas non est libera, & absoluta, sed delegata. *Nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo vos obsecrante per nos.* 2. Cor. V, 20. Ergo sicuti Legati intra certos & præscriptos mandati, à Principali mendatario juncti, terminos sese continent, neque ipsis liberum relinquitur aliquid addere, vel demere: Ita etiam Ministri Christi & Ecclesie, nil nisi eloquia Dei proferre debent, neque de his aliquid demere, neque de suo aliquid addere. Et huc spectat illud Christi, Luc. X, 16. *Qui vos audit, me audit.* Quæ sententia non pro traditionibus, sed maximè contra traditiones facit.





facit. Egregiè id explicat Apologia A. C. Art. XIV. cujus glossa super allegatum dictum talis est: *Non est mandatum, cum liberà ut vocant, sed cautio de rato, de speciali mandato, hoc est, testimonium datum Apostolis, ut eis de alieno verbo, non de proprio credamus. Vult enim Christus nos confirmare, quemadmodum opus erat, ut sciremus, verbum traditum per homines efficax esse, nec quærendum esse aliud verbum de Cælo. De traditionibus non potest accipi, qui vos audit, me audit, Requirit enim Christus, ut ita doceant, ut ipse audiatur, quia dicit; ME audit, Igitur suam vocem, suum verbum vult audiri, non traditiones humanas. Hinc relinquitur, Ministros Evangelii & successores Apostolorum nullam habere potestatem absolutam, liberam, architectonicam & principalem, vi cuius ex suo arbitrio possint nova fidei dogmata condere, vel pro proprio beneplacito quæstiones de Fide controversas decidere, abolere scripturas, quas velint, aut etiam novas leges ferre in conscientiam obligantes, dispensare & solvere, quibuscumque legibus velint, sicuti hæc potestas ἀνωτέρας ad mentem Pontif. describitur in Apol. A. C. Art. IV. Purus minister non potest legem ferre ei, cui ministrat, sed potius ab hoc leges recipit. Nec legatus, cuius sententia eadem est, quæ principalis sui, ita ut sub unâ voce audiatur, aliquid novi & ex proprio arbitrio potest statuere, sed unicè obligatur ad voluntatem & mandata mittentis, cuius personam refert. Subsume de Apostolis, illorum successoribus & omnibus ministris Ecclesiæ, vi antecedentium, & elicietur id, quod supra demonstrandum proponebatur. Quæcumque igitur sint specialia officia ordinis Ecclesiastici, ea necesse est, talia esse, ne destruant generalem rationem puri ministerii & legationis, quod hic observasse in sequentibus juvabit.*

s. XV.

Propos. II. *Potestas ecclesiastica relata ad regendam communitatem in negotio salutis, est quidem Episcopalis, non tamen dominans. Sunt nempe pastores, utpote in quibus ordinariò hæc potestas residet Dei & Ecclesiæ ministri atque servi, non tamen vilissima mancipia, quibus omnis reverentia & obedientia dene-*



deneganda sit. Diaconi sunt; sed & *ὑποεπισκοποι*. Qui bene præsunt presbyteri, dulci honore digni habeantur: maximè ii, qui laborant in sermone & doctrinâ 1. Tim. V, 17. *ἠγόμενοι*; Memores estote eorum qui præsunt vobis, qui locuti sunt vobis sermonem Dei Hebr. XIII, 7. *Ἰσνοποι*: Attendite vobis ipsis, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos, pascere Ecclesiam Dei Act. XX, 28. Præpositi sunt, quibus obedientia debetur. Obedite præpositis vestris. Hebr. XIII, 17. Qvalis autem sit hæc præfectura, & qualem obedientiam requirat, insinuatur v. 7. antecedenti *Memores estote præpositorum vestrorum, qui locuti sunt vobis sermonem Dei, Quorum imitami fidem, considerantes, qui fuerit exitus conversationis illorum.* Et 1. Tim. IV, 12. *Esto typis fidelium in sermone, in conversatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in castitate:* Ex his e conceditur Episcopis præfectura spiritualis, æconomica, pastoralis, doctrinalis, disciplinæ & exemplaris: A quâ ad politicam, dominantem, herilem, & imperantem principatum N. V. C. Requiritur obedientia filialis, fraterna, & fidei, à quâ ad subjectionem servilem & legis N. V. C. Episcopis ergo nullus dominatus, nullum regnum constituitur extra Evangelium, sed potius interdicitur Luc. XXII, 25, 26. *Reges gentium dominantur (κυριεύουσιν quod significat dominatum simpliciter, non tyrannicum) eis & qui potestatem habent super eas, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui major est in vobis (conditionaliter & indefinitè loquitur Christus. conf. loca parallela, & Joh. XXI, 23) fiat junior: & qui princeps est, sicut, qui ministrat.* Vindicias hujus loci contra vanas objectiones Pontificiorum vid. ap. B. Brochmand. Tom. 2. syst. Theol. art. de Romano Pont. c. 1. f. 1. Meissn. p. 3. Phil. fil. sect. 2. q. 2. Dannh. Anti Christ. sect. II. art. 8. p. 767. Huc etiam pertinet illud Apostoli, 2. Cor. I, 24. *Non dominamur fidei vestre; Et 1. Pet. V, 2, 3. Pascite, quantum in vobis est, gregem Christi, curam illius agentes non coactè, sed volentes, non turpitudine affectantes lucrum, sed propenso animo: Neque ceu dominium exercentes: sed sic ut sitis exemplaria gregis.* Ποιμαίνειν & κατὰ κυριεύειν opponuntur sibi invicem h. l. Hinc constat, Apostolos abhorruisse ab omni dominatu, & tantum approbasse pasturam doctrinalem & exemplarem, qualem nos in propositione hæc intelligimus.





## §. XIV.

Propof. III. *Potestas Ministrorum Ecclesiae est Aristocratia analogica, non Monarchia.* Analogia saltem, nulla proprietas hinc locum invenit. Propriè sic dicta Aristocratia & Monarchia affectiones sunt summi imperii, non officiorum, ministris delegatorum. Aequalis autem potestas Ministrorum Ecclesiae probatur 1) ex aequali collatione. Matth. XI, 1. Marc. XVI, 17. Joh. XX, 21. quod argumentum infra tractandum veniet. 2) Ex aequalitate doctrinae. Omnium Apostolorum pariter doctrina vocatur fundamentum Ecclesiae. Eph. II, 20. 3) Ex prerogativa Christi. *Deus dedit Christum, caput super omnia ipsi Ecclesiae, quae est corpus illius*, Eph. I. ult. Christus & Ecclesia hinc sibi invicem opponuntur, tanquam caput & corpus. Papa igitur, aut pertinet ad Christum, aut ad Ecclesiam. Illud est absurdissimum: si hoc, non potest esse caput, cui opponitur Ecclesia, tanquam corpus. Disparata aut relativè opposita non conveniunt in eodem subjecto. Reperunt: Caput est ministeriale, non principale. Quam distinctionem probant ex simili distinctione fundamenti. Nam I. Cor. III, 11. Christus dicitur fundamentum; & nihilominus etiam ad Eph. II, 20. Apostoli dicuntur fundamentum. Ita Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. cap. 20. Resp. (1) Ad distinctionem capitis, illam implicare, & principium petere. Implicat, esse caput, i. e. independens principium dignitatis, dominii & influxus, & esse principium dependens & ministrans. Quale caput, talis influxus; & viceversa. Sed influxus potestatis ministerialis & organicae, qui simul sit principalis & capitis, in conservationem corporis spiritualis & mystici est nullus. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui dat incrementum Deus.* I. Cor. III, 7. *Quis Paulus? quis Apollo? nisi ministri, (non capita, aut vicarii) per quos credidistis,* v. 5. Deinde principium petunt; Id enim in quaestione erat, an ministrans sit caput? Tunc enim pertinebit ad Christum, quia caput non pertinet ad corpus, Ecclesiam. Inter haec relata non datur tertium. Idem qui caput est, est etiam Rex & maritus sive sponsus. Applicando nunc futilem illam distinctionem, dabitur Rex & Monarcha imperans & ministrans, dabitur maritus & sponsus vicarius. *Alit nemo est vicarius*



rius mariti, absque peccato adulterii. Sanè nec regna socium  
ferre, nec tæda sciunt. Resp. 2) Ad Bellarmini probationem,  
1) ex Bellarmino eodem libro cap. 12. §. altero modo &c. Apo-  
stolos & Prophetas dici fundamenta ratione doctrinæ à Deo re-  
velatæ. 2) Sequeretur duodecim esse fundamenta, neque uni  
Apostolorum id nomen competere, præ alio. Prævidit hanc  
sequelam Bellarminus in antec. §. Alterum. Respondet ad hoc  
in §. Tertio, *Omnes fuerunt fundamenta, sed non eodem modo, quo  
Petrus Habuerunt summam & amplissimam potestatem, ut Apostoli  
sive Legati, Petrus autem ut Pastor ordinarius.* Quam respon-  
sionem jejunam iudicio lectoris committo, quo chartæ par-  
cam. 3) Falsum est, fundamentum prædiciari de Apostolis in  
casu recto, cum tantum in obliquo prædicetur. Non dicitur:  
super fundamentum Apostolos, sed super fundamentum Apo-  
stolorum, utpote Architectorum, & fundamentum ponentium,  
quod est Jesus Christus. 1. Cor. III, 10, 11.

§. XVII.

Ac uti capitis ministerialis & vicarii necessitas absurdum  
est figmentum; ita tale caput monarchicæ potestatis recepti-  
vum nunquam fuisse Petrum vel alium quempiam ministrorum  
probamus 4) ex apostolici muneris æqualitate & eminentia  
supra reliqua munera. Apostolus omnes ministros, quos  
Christus Ecclesiæ dedit, ordine recensiturus 1. Cor. XII, 28. &  
Eph. IV, 11. primo loco ponit Apostolos omnes, non solum  
Petrum; Papam verò planè omisit. Paulus se nulla re dicit in-  
feriorem fuisse summis Apostolis, 2. Cor. XI, 5. XII, 11. Petrus  
non fuit Episcopus œcumenicus, quia & Paulo incumbebat  
quotidiana cura omnium Ecclesiarum, 2. Cor. XI, 28. Hinc Pe-  
tus se *συνπρεσβύτερον* appellat 1. Pet. V, 1. Mitto alia argu-  
menta brevitatis ergo, cum hæc sufficiant. Conf. Gerh. Conf.  
Cath. 1. II. Art. III, c. 1. Balth. Meisn. pars 3. Phil. sob Sect. II.  
c. 1. q. 1. & Tr. de Legibus 1. 4. f. 2. art. 2. q. 1. Dannh. Hod.  
pap. phant. 2. & AntiChr. sect. II. art. 8. Ægid Hunn. Tom.  
1. art. de Ecclesiâ. 1 G. Dorsch Vindic. in Exod. cap. IV.  
diff. 7. Jac. Heilbrunner in Papatu Acath & Georg. Zeaman  
in Apol. Tom. 2. contra Jesuitam, Kellerum,





## §. XIIX.

Concurrunt hîc undiqve Papalis Monarchiæ fabricatores innumeri, tanquam ad commune rerum suarum incendium. Everso enim hoc dominatu Præfulis Romani, actum est de toto Papatu. Non licet eqvidem ex hoc rivulo in tantum Oceanum navigare; & specialem elenchum singulorum argumentorum, potestatem Tiberinam statuminantium, instituere; (quod præter Heroës Orthodoxos jam allegatos, etiam alii ex Scholâ Reformatorum feliciter, ne relictis quidem spicilegiis, præstitere; præprimis Dan. Chamier Panstratiæ Cathol. Tom. II. lib. 10. de Oecum. Pontif. Joh. Forbesius in Instructione Historico - Theologica, Joh. Crocius Tom. 1. Anti - Becan. Sutlivius de Romano Pontifice, Cl. Salmasius de Primatu Papæ, Rob. park. de Polit. Eccl. lib. 3. Gisb. Voët. disp. Sel. part. II. disp. 42. & seqq. Gvil, Amesius Anti - Bellarm. Tom. 1. l. 3. c. 2. de Monarchiâ Petri. Quibus subjungo Antonium de Dominis de Republ. Ecclesiasticâ per totum: Et ex ipsâ Scholâ Pontificiorum Ægidius de Româ, in quæstione disputatâ super Bullam Bonifacii ad Regem Philippum missam, Joh. Parisiensis de potestate Regiâ & Papali, Marsilius de Menandrino, Patavinus in Defensore Pacis part. 2. c. 3. 4. & seqq. Aliique à Goldasto tribus Tomis de Monarchiâ S. Romani Imperii comprehensi.) Id tamen asseverare, Hierarchiam Pontificiam totam esse ἀρχαίον, nec ullo solido scripturæ sacræ fundamento niti, ita ut hic quoque fas sit dicere ex Osee VIII, 4. *Ipsi regnare fecerunt, sed non ex me, principem constituerunt & non cognovi.* Frustrâ laborant Sanderus & Bellarminus pro evincendâ Regiminis Monarchici præeminencia præ Aristocratia & Democratia. Illa enim ex superabundanti licet concessa, tamen à bonitate ideali & in abstracto, ad bonitatem objectivam & in concreto N.V.C. Quid juvat, multum contendere, quale regimen Ecclesiæ potuerit esse optimum? Restota illuc redit, quale Deus esse voluerit, & an Christus post subtractam suam visibilem præsentiam voluerit, unum aliquem esse debere, qui visibiliter præfens totam per universum orbem diffusam Ecclesiam monarchicè gubernat & regat? Utique, inqviunt Pontificii, requi-



requiritur corporis visibilis, Ecclesiæ, visibile caput, quod dijudicet omnes obortas controversias. Verùm, inquit, Dannhae-  
 rus, cur non & visibilem Deum & visibilem Spiritum Sanctum, ?  
 cur non & caput mortale & peccaminosum, quia tale corpus est.  
 Ex harmonia qualitaturn absolutarum si res decidenda est, na-  
 turalior utiqve erit nexus inter Papam, caput visibile, & Ecclesi-  
 am, quam inter hanc & Christum, quod blasphemum. Præte-  
 rea, annon Christus intra 40. dies post resurrectionem fuit,  
 caput Ecclesiæ, & quidem ordinariè (extraordinariæ *οικονομίας*  
 erat, quod se aliquando discipulis videndum præbuit) invisibile.  
 Nam etiam ex mente Pontificiorum, Petro tanquam capiti pri-  
 matus demum commendatus est apparitione septima Joh. XXI.  
 auctore Tannero p. III. Theol. Schol. disp. I. q. 4. d. 2. n. 65.  
 Deinde visibilitas nihil confert ad officium judicis, sufficit au-  
 dibilitas & intelligibilitas, quæ ut & alia requisita omnia offen-  
 duntur in Scripturâ Sacrà.

## §. XIX.

Porro, posita, nunquam concedendâ, institutione divi-  
 nâ talis Monarchiæ visibilis, inquirendum veniret subjectum tum  
 primum, tum successivum. Ratione prioris, Pontificii omnia  
 sua studia deferunt Petro: Et tam immanem pyramidis molem  
 superstruunt tribus metaphoris Petræ, clavis, pascionis, nec non  
 magno numero prærogatarum, quarum triginta collegit  
 Dannh. AntiChr. l. 2. Art. 9. §. 98. p. 866. Ad quæ scitè & e-  
 leganter regerit Dannh. l. c. p. 811. *Quæ in tribus metaphoris Pe-  
 træ, clavium & pascionis invenere Interpolatores, ea nec petrosa sunt,  
 nec seras omnium difficultatum aperiunt, nec animas satis pascunt.* Con-  
 fer omninò illarum metaphorarum resolutionem Art. IX. compre-  
 hensam. Prærogativis Petrinis totidem numero prærogativas  
 Paulinas opponit sæpius allegatus Dannhauerus l. c. Ex omni-  
 bus evincitur quidem primatus ordinis, ætatis, vocationis, Zeli,  
 officii & laborum, à quo ad primatum potestatis & Jurisdictionis  
 Monarchicæ N. V. C. Ratione posterioris, æque dubia est  
 successio Hierarchiæ Ecclesiasticæ, quam ad sedem Romanam,  
 absque ullo fundamento solido alligant Romanenses, dum  
 Petrum Episcopatum oecumenicum Romæ erexisse conten-  
 dunt



dunt. Silet hic historiâ canonica Lucæ, qui res fundata Rom. Ecclesiâ posteriores scripsit & quidem ἀνεβῶς Luc. I, 2. & tamen totum fundamentum fidei ipsum neglexurum fuisse, quæ suda persuadebit? Imò è contrario, ex certo scripturæ testimonio convinci potest, inquit, Marsilius, Patavinus l. c. part. 2. cap. 16. apud Goldast, Tom. II. p. 245. Romanos Episcopos magis esse successores, quantum ad provinciam & gentem (seu cathedram, supposita nempe doctrinæ orthodoxia) Apostoli Pauli, quàm Petri, præsertim in Episcopali sede Romanâ: Rursumque, quod jam dicto super admirabilius videtur, quod per scripturam probari nequit, Romanos Episcopos successores esse singulares B. Petri, propter sedis sive provincie determinationem, sed propter hoc potius eos, qui sederunt, aut sedent in Episcopali Antiochenâ sede, quàm Romanos. Prioris dicti fidem facit ex speciali Apostoli Pauli missione ad Gentes, Gal. II. 7. 8. 9. Quum vidissent Jacobus, Petrus & Johannes, mihi concreditum fuisse Evangelium præputii, quemadmodum Petro circumcisionis, &c. dexteris mihi dederunt ac Barnabæ societatis: Ut nos in Gentes, ipsi vero in Circumcisionem Apostolatu fungeremur. Cum igitur per scripturam constet evidenter, Paulum Romæ fuisse biennio, ibidemque suscepisse omnes gentiles converti volentes, ibidemque prædicasse, constat ipsum fuisse Romanum Episcopum specialiter. Posterius vero exinde probat, quod Petrum fuisse Romanum Episcopum, vel unquam Romæ fuisse, ex scripturâ convinci nequeat: sed potius contrarium probabile sit ex Act. ult. v. 21, 22. ubi Judæi ad Paulum, adventus sui causam assignantem, ita loquuntur: Nos neque literas accepimus de te à Judæas. Neque adveniens aliquis fratrum nunciavit, aut locutus est aliquid de te mali. Volumus autem ex te audire, quæ sentias. Nam de sectâ istâ notum est nobis, quod ubique ei contradicitur. E. ad minimum Petrus non prævenit Paulum. Etsi advenit, sedem tamen suam ibi non constituit, utpote cujus officium non erat sedentarium, sed dromedarium. Denique non solum Pontificem Romanum Petro successisse, sed & Antiochenum, fatentur ipsimet Adversarii, nec hætenus ratio reddi potuit efficax, cur Romanus potius in primatu successerit, quàm Antiochenus. Quam Costerus & Tannerus attulit, diluit Dannh. l. c. p. 829. Hic tamen non immerito



ritò quæri poterat, cur, si Papa est successor Petri, nullus unquam Papa nomen Petri induerit? An modestiæ causa? **D**amit dann / inquit Forerus l. 1. Antiquit. Papal. c. 16. §. 6. Dem Petro dies / ser sein Thame/der ein sonderbahres Geheimnis begreiffte / allein und eigen verbleibe / pflegen sich die Pâbste aus Ehr / erbietung zu entâussern. Cur non ex eâdem causâ à nomine Mariæ infantibus puellis imponendo abstinetur? An fortè per aliam Dei Providentiam nullus Petro συνώνυμος grammaticè, quia nullus Logicè? Reliqua argumenta pro primatu & Dominatu Monarchico Papæ, utpote levioris armaturæ, non attingimus, qualia sunt: Fecit Deus Cælum, id est, potestatem spirituales, & terram, id est, regiam & secularem: Et posuit in firmamento Cæli, id est, Ecclesiâ, duo luminaria magna, solem & Lunam, id est, Papam & Cæsarem; Hæc ex loco allegoriamanix, quibus succenturiantur alia ex analogia V. & N. Testamenti, quæ unum monarcham Christum, non unum Christi vicarium probant; idem etiam præstant reliquæ analogiæ Ecclesiæ triumphantis, Angelicæ, exercitus, corporis, regni, navis &c. numero copiosæ, sed pondere leves.

## §. XX.

Cæterum ex præcedenti doctrinâ quædam corollaria, facientia ad illustrationem præsentis thematis, & redargutionem errorum hic & infra occurrentium, deducere, utile videtur. Sit ergo Coroll. 1. *Potestas ecclesiastica formaliter & subjective sic dicta, à potestate civili & seculari differt tota essentiâ specificâ & generica proxima.* Differunt 1) genere. Ecclesiastica est Sacra potestas, comprehendens spiritualem: Politica est temporalis & mundana, talis non est ecclesiastica. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Joh. XIIX, 36. *Nostra politia in cælis est.* Phil. III, 20. Differunt 2) specie, ut patet ex hæcenus traditis de objecto & formâ regiminis, quæ constituunt essentiam, & simul distinguunt. Differentia constitutiva est etiam distinctiva. Huc pertinent quoque distincta utriusque potestatis instrumenta & media. Illa, nempe ecclesiastica, utitur gladio oris Eph. VI, 17. hæc ore gladii, Röm. XIII, 4. 1. Pet. II, 14. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo,*

D

ad de-



*ad destruendas cogitationes*, 2. Cor. X, 4. Ad hunc modum discernunt nostri utriusque potestatis officia, inquit Art. Abuf. A. C. de potest. Eccles. art. 7. Distinctus denique utriusque est effectus. Illa sola proximum continet medium conferendæ fidei & salutis æternæ, Eph. IV, 12, 13. Potestas vero civilis vel salutem tantum procurat temporalem & Reipl. vel actione saltem externâ, remotâ & pædagogicâ versatur circa religionem. Conf. Gerh. Loco de Min. Eccles. cap. 5. n. 195. Meisn. Phil. Sobr. p. III. f. 2. cap. I. q. 2. n. VI. Differentiam causæ efficientis proximæ non adeo urgemus, cum causæ extrinsecæ non variant essentiam internam.

## §. XXI.

Coroll. II. *Neutra potestas, neque Ecclesiastica, neque civilis continet alteram vel formaliter, vel eminenter*, (sicuti potestas consularis non continet maritalem, & vice versa, quamvis una circa aliam occupetur directione, vel ministerio, vel cooperatione,) atque ideo una non potest producere alteram, juxta vulgatum: Nihil dat (efficiendo) quod ipsum non habet (vel formaliter, vel eminenter.) Fuit antecedens ex totali naturarum distinctione, & contrarietate metaphysicâ. Effectus formaliter contentus in virtute suæ causæ, cum eadem eandem specie habet formam sive essentiam. Eminenter autem contentus diversam quidem alit naturam, sed imperfectiorem suâ causâ, nunquam nobilior, & præterea in fieri, existere, operari & conservari dependet à suâ causâ, ut creatura à Deo. Nam quod dat esse primum, dat etiam esse secundum: Quod illud non dare potest, neque hoc dare potest, cum à parte causæ requiratur eadem virtus ad eundem effectum. Ideoque nec posterior ratio continentiæ applicari potest ad potestatem civilem & ecclesiasticam. Nam 1) pro diverso respectu modo nobilior est Ecclesiastica, modo civilis. Illa in ordine ad effectum, hæc quoad formam. 2) Utraque potestas conservari potest sine contactu alterius, ut ostendunt exempla imperiorum Gentilium & Ecclesiæ N. T. primitivæ. 3) Utraque immediatè est à Deo, E, sese invicem neque continent formaliter, nec eminenter.

## §. XXII.



## §. XXII.

Coroll. III. *Potestas Ecclesiastica & secularis nullo jure sibi invicem essentialiter subordinantur ratione essentialis operationis & finis interni sive proximi* Negata subordinatio fluit ex negatâ continentîâ, & affirmatâ utriusque potestatis differentia specificâ. Duplex autem est subordinatio, vel ratione principiorum, vel ratione finis; utraqve vel essentialis & internè constituens, vel accidentalis & extrinsecè promovens. Nulla essentialis subordinatio, sive ea sit principiorum, sive finis, hic locum invenit. Principia agendi, jura, officiaque Potestatis Ecclesiasticæ non dependent constitutivè à potestate seculari, neque hujus jura & officia ab illa. Quorum essentialis à se invicem non dependent, illorum neque operationes à se invicem dependent. Sequitur modus operandi modum essendi. A sit subordinata potestas ratione principiorum debet in esse & operari dependere à subordinante, ita ut officia subordinati sint etiam in subordinante, quemadmodum potestas consularis subordinatur regali. Neque est inter easdem essentialis subordinatio finium, ita ut cessante unius fine, cesset etiam alterius, sicuti si tollas artem equestrem, frustra est frenefactoria. Sublatâ potestate Ecclesiasticâ, quis diceret Respl. corrumpere, aut sublatâ potestate civili Ecclesiam? Interim hoc ipso negare nolumus conservationem politix Ecclesiasticæ externæ plurimum dependere à tutelâ & curâ Magistratus, etiam Ethnici & heterodoxi, (& exinde etiam potestati spirituali multum subsidii accedere ad facilius obeundas partes suas, nihil tamè novæ autoritatis, virtutis & operationis) dum exercendi cultus Christiani potestatem dedit, persecutionum furorem rescriptis inhibuit, ac portas Regi gloriæ si non aperuit, saltem non clausit, qvalia de Constantio, Constantini M. patre ex Sozomeni l. 1. c. 6. refert Hotting. Hist. Eccl. secul. IV. p. 162. Sicuti viceversâ salus populi & Reipl. multum dependet ab exercitio veræ religionis, juxta illud Psal. 144., 10. *Beatus populus qui sic est, ut ejus Deus sit Jehovab.* Conf. B. Hülsem Brev. cap. XX n. VII. §. 1. 2. Eadem etiam ratione fines sive effectus interni utriusque potestatis sibi invicem accidentaliter subordinantur & remotè, non proximè & essentialiter,





liter, ut consideranti patet. Hoc enim esset transcendere de genere in genus, quod leges Metaphysicæ nunquam permittunt. Ideoque Cœlum cum Terrâ miscent, spiritualia cum temporalibus, qui harum potestatum aliquam alteri subordinant essentialiter, aut unam ab alterâ necessariò dependere fingunt, vel ex accidentali subordinatione operationum & finium argumentantur ad dependentiam necessariam aut subjectionem politicam sive moralem ipsius principii, habitus & subiecti. Conf. B. Hulsem. Brev. cap. XX. n. VII. §. 1. & suppl. ejusdem cap. n. VII. M. Ant, de Dominis lib. VI. de Rep. Eccl. cap. 3. Jac. Triglandus diff. de Civ. & Eccl. pot. cap. 7. & præprimis Balth. Meisn. p. 3. Phil. Sobr. sect. 2. cap. 2. q. 2.

## §. XXIII.

Coroll. IV. *Potestas Ecclesiastica & secularis sibi invicem non apponuntur collateraliter, i. e. non habent in suâ spherâ æqualem auctoritatem, Jurisdictionem & imperium.* Sic enim duplex foret Magistratus, ecclesiasticus & civilis. Ast Magistratus spiritualis est non-ens, ideoque & ejus collateralitas sive æqualitas cum seculari. Inter magisterium & ministerium nulla potest intercedere collateralitas sive æqualitas.

## §. XXIV.

Ex hisce quilibet judicare poterit absurditatem errorum, 1) Hobbii, cujus in Leviathane, cap. 39. hæc verba sunt: *Ecclesia ergo, cui potestas est judicandi, absolvendi, condemnandi, aut actionem quamcunque agendi, eadem res est cum civitate; Et civitas ideo quidem est, quia cives sunt homines: Ecclesia autem, quia cives sunt Christiani. Quare regimen Temporale & spirituale verba inania sunt, introducta eo fine, ut propter duos status apparentes minus cognoscerent homines, utri eorum obedientiam præstarent.* Quamquam, qui aliis omnibus contradicere assuetus est, temperare non possit, quin sibimet ipsi contradicat, dum ab initio cap. 42. fatetur potestatem Ecclesiasticam in Apostolis eorumque successoribus viguisse à civitate distinctam, usque ad Regum conversionem. Prout reliquos, ita etiam hunc Hobbii errorem in Theologiâ recoxit & auxit maledicto ausu Autor Tractatus Theologico-Politici, qui fertur esse Benedictus de Spinoza, Amstelodamen-



damensis, natione Judæus, sed ob opinionum, quas fovet, monstra, judice DN. D. Musæo in examine Tractatus illius, seu de libertate philosophandi, ἀποσυνάγωγος homo, fanaticus & à religione omni alienus, qui cap. 19. pag. 214, ostendere vult Religionem vim juris accipere ex solo imperantium decreto, & Deum nullum singulare regnum inter homines habere, nisi per eos, qui imperium tenent. Sed voluit, non potuit. Illius, Hobbii, insanam & impiam in Theologiâ curiositatem obtundit Joh. Templerus, Anglus, S. Th. D. in Ideâ Theol. Leviath. dogm. 22. & 28. Hujus verò novitates, Religionis omnis everfivas solidissimo elencho castigavit & delevit antea citatus DN. D. Musæus, in Tr. de Libertate Philosophandi, nec non ex conterraneis Regnerus à Mansveldt, Phil. Prof. in Acad. Traject. & Johannes Breidenburg.

## §. XXV.

2) Pontificiorum, qui civilem potestatem subjiciunt Ecclesiasticæ, non solum indirectè, sed & directè, ad cujus nutum actiones suas instituat, vel etiam ad ejus beneplacitum, auferri & transferri possit. Adrianus IV. tempore Friderici Barbarossæ circa Ann. 1159. ad Archiepiscopos Moguntinum, Treuirensis & Coloniensem, sic scripsit: *Unde habet Imperium Imperator, nisi à nobis? &c. Ergo per nos imperat, &c. Imperator, quod habet, totum habet à nobis*, referente Aventino lib. 6. Annal. pag. 506. apud Gerhard. CC. lib. 11. P. 1. Art. 3. cap. 9. p. 661. qui plura in hanc rem testimonia congeffit. Inde etiam Sixto V. parum placuit temperamentum illud Bellarminianum de potestate Pontificis indirectâ in temporalibus, qui in Bullâ contra Henricum III. Franciæ Regem affirmat, *se supremam in omnes Reges & Principes universæ Terræ, cunctosque populos & gentes, & nationes non humanâ, sed divinâ institutione sibi traditam potestatem obtinere*. Hinc parum abfuit, dicente Barcl. de pot. Papæ cap. 13. p. 101. quin omnia Bellarmini opera Pontificia Censura aboleret. Quæ autem pro potestate illâ ex subordinatione finium profert Bellarminus lib. 5. de Pont. Rom. c. 7. quod nempe finis temporalis subordinetur, fini spirituali, id partim falsum est, ut constat ex antecedentibus, partim nihil facit ad rem, cum à





subordinatione finium accidenti, ad subjectionem potestatum & principiorum moralem N. V. C. Conf. Balth. Meisn. l. c. & Gerh. CC. l. c. pag. 702. Hinc planè inutile & vanum est refugium Bellarmini, quo se defendit contra Barcl. cap. 2. adeò ut propterea M. Antonio de Dominis l. VI, c. 3. n. VIII, non tam inscitia Logica, sicut Baronius, quam malae fidei suspectus sit, quod trabem adeo ingentem in oculos incurrentem videre noluerit. Ubi tamen retinenda est confessio Bellarmini, quod laica potestas non subordinetur ecclesiasticae, eo modo, quo subordinatur derivata potestas ei à qua derivatur. Subjectio igitur potestatis civilis, quam intendunt Pontificii, planè est inexplicabilis. Non enim consistit in derivatione, vel subordinatione quadam, ut vidimus: Neque in excellentiâ: Nam neque excellentia, neque potentia major fundat aliquod jus aut imperium in subjectum ignobilius & debilius, sicuti ex moralibus constat. Neque in unione ad eandem Ecclesiam: quasi potestas spiritualis & civilis partes sint Ecclesiae & Reipl. Christianae. Nam primo falsum est, quod Respl. politica & spiritualis (quae impropriissimè talis dicitur) unam faciant Ecclesiam, quod praeter Meisnerum etiam observavit M. A. de Dominis l. c. n. XV. & hinc error jam in Hobbio notatus fuit. Deinde unio partium non infert imperium unius in aliam: (quo ipso simul evanescit ficulnea analogia ab anima & corpore desumpta.) Rectius hac de re differit Barcl. l. c. p. 105. *Non sunt haec potestates, Ecclesiastica & Politica ita partes Reipl. Christianae, ut altera in alteram planè dominetur; sed ita sunt partes, ut quae, quum essent separatae, & inter se dissidentes singulari tamen concordia se junxerint, ut utraque alteri opem & operam suam praestaret, mutuisque officiis & muniis sese invicem demererentur &c.*

## §. XXVI.

3) Remonstrantium & D. Parei. Illi non putant consistere posse duas hasce potestates, nisi altera alteri subordinetur; ideoque è contrario ecclesiasticam potestatem subordinant politicae, ita ut *architectonica potestas, quoad publicum & externum Ecclesiae regimen, immediatè sub Christo competat Magistratui Christiano, quae thesis est Episcopi Tom. II. part. 2. in Apol. pro confessione-*



fessione Remonstr. ad cap. XXV. p. 278. Imò Joh. Utenbo-  
 gardus in libro *de Auctoritate supremi Christiani Magistratus in re-  
 bus Ecclesiasticis* p. 33. Verbum Dei ponit supremo loco, Cæ-  
 sarem medio, ministros Ecclesiarum infimo; & pag. 65. expres-  
 se dicit, *utramque administrationem, tam Ecclesiasticam, quam Politi-  
 cam, fieri uno eodemque nomine, Dei non tantum, sed & humani Magi-  
 stratus.* David Pareus autem, ex Schola aliàs Calvinii, in comm.  
 ad cap. 13. Epist. ad Rom. Dub. V. præc. 4. p. 1075. expressè  
 dicit: *Ecclesiastica igitur & civilis, ut duæ potestates disparatæ, subor-  
 dinantur Architectonica.* Quamquam hîc ipse non per omnia  
 consentiat cum Arminianis, sed incautis sæpius formulis lo-  
 quendi utatur, ita ut sibi ipsi nonnunquam contradicat, notante  
 Trigl. diff. all. cap. X. p. 203. Arminianorum autem sententia  
 nititur partim falsâ hypothesi, quasi ecclesiastica negotia au-  
 thenticè & architectonicè ab aliquo statuum debeant necessariò  
 administrari. Partim etiã fallaciã consequentiã: *Officium hoc*  
*(nempe cura religionis & inspectio super officia ministrorum,)*  
*inquunt, per Episc. l. c. p. 279. exercere non potest Magistratus*  
*quâ talis, nisi auctoritas & potestas ejus quoad regimen Ecclesie, sit supra*  
*ministros, eorumque functiones publicas.* Verùm ab inspectione  
 & curâ oeconomicâ, ad subordinationem architectonicam  
 N. V. C. Nam fatente Wtenbog. p. 19. etiam *Magistratus, mi-  
 nistris & inspectoribus Ecclesie, ut spiritualibus suis pastoribus subest.*  
 E. nè potestas civilis subordinatur spirituali? Denique cura  
 Politicæ Ecclesiasticæ competit toti Ecclesie, & quidem imme-  
 diatè sub Christo, quamquam peculiare partes in regimine &  
 exercitio relinquamus Magistratui, uti ex inferius adducendis  
 hîc suppono. Jam autem immediatum regimen tollit subor-  
 dinationem, fatente ipsomet Episcopi l. c. Neque ideò ta-  
 men ex nostrâ sententiã aliqua collateralitas elici potest, quippe  
 quæ secundum Episcopium tantum est inter duas potestates  
 architectonicas, qualem in nostrâ Ecclesiã præter eam, quam  
 Christo asserimus, agnoscimus nullam, ut mox demonstra-  
 bimus.

## §. XXVII.

A CHRISTO, UNICO REGE) Causa efficiens

Eccle-

(G)  
 3) A causa ef-  
 ficente, tum  
 ratione pro-  
 priarum qua-  
 litatum.



Ecclesiæ, est etiam causa efficiens Ecclesiasticæ potestatis. Posito ente ponuntur omnia ad essentiam ejus requisita. Sine potestate Hierarchia ecclesiastica consistere nequit; Est enim anima ejus. Causa igitur efficiens potestatis hujus sacræ est quidem tota SS. Trinitas: (conf. Gerh. Loco de Ecclesiâ, c. V, n. 37. Balth. Meisn. de Eccl. sect. 2. cap. 1.) speciali tamen ratione Christus, tanquam Mediator, ideoque secundum utramque naturam. In operibus officii mediatorii utraque natura agit cum communicatione alterius, quod unius cujusque proprium est, ut Patres concilii Chalcedonensis loquuntur. Inter triplicia autem munera Christi, præfens opus spectat ad officium Regium. Non potest institui potestas, nisi à superiori illius communitatis, qui hîc est Christus. Munerum impositio & legatorum missio ubique effectus est Juris supremi in personam & caput subditi, ideoque indivisibile Jus Majestatis Regiæ, in quam ultimè resolvitur. Christus autem Rex est, etiam quâ Mediator, & secundum utramque naturam, triplici regno, Potestatis, Ps. 110, 2. Gratiæ, Matth. VI, 10. & Gloriæ Luc. XXIII, 42. gloriosus in montem Sionem collocatus Ps. 11. 6. in mundo, non de mundo, Joh. XII, 36. Solus Princeps, Rex regnantium, & dominus dominantium, 1. Timoth. VI, 15. Rex catholicus, ratione objectorum, cœlestium, terrestrium ac inferorum, Phil. II, 10. ratione loci, implens omnia Eph. IV, 10. qui nobiscum est omnibus diebus usque ad consummationem seculi, Matth. XXII, ult. ideoque ratione temporis perpetuus & æternus, cujus regni non erit finis, Luc. I, 33. Ideoque absque successore, & vicario, quia ipse principatum tenet super omnia & in omnibus, Eph. I, 22, 23. Col. I, 28. Igitur tam ratione interni influxus, quam externæ directionis regit Ecclesiam, fatente Becano Tom. V. opusc. l. i. c. 4. §. 9. Non obstante regni, traditione œconomicâ, 1. Cor. XV, 24. quæ terminabit modum administrandi regnum gratiæ, non substantiam regni, interprete Dannh. Hodof. phæn. l. IX. p. 710. Ejectus è statu humilitatis in Thronum regium Dextræ divinæ Psal. CX, 1. & seq. Ebr. I, 13. Eph. I, 21. unde simul constitutus est etiam secundum humanitatem, caput Ecclesiæ, v. 22. nempe ratione dominii plenarii, §. XXII.



## §. XXIIIX.

(H)

## ET CAPITE ECCLESIAE CONCESSA.)

Tum ratione  
relativi influxus.

Idem qui Rex est, etiam caput Ecclesiae est. Dico, Ecclesiae, non in ecclesia. *Distingvendum est*, inquit Dannh. Hodomor. Pap. ph. II. p. 553. *inter caput Ecclesiae formale, quod est solus Christus, is dicere potest pedibus, non estis mihi necessarii: Et caput in Ecclesia materiale, quod non potest dicere pedibus, non estis mihi necessarii.* 1. Cor. XII, 21. Hoc caput simul membrum est corporis, à quo influxum recipit: Christus vero à corpore Ecclesiae nullatenus dependet. Ideoque Christus dicitur caput Ecclesiae per similitudinem desumptam à capite corporis humani, non materialiter, prout est pars integralis, sed formaliter spectato, quatenus est principium, rectivum corporis, consentiente Musæo Tr. de Ecclesia disp. II. n. V. Similitudo autem inter caput corporis humani & Christum Ecclesiae caput constituitur à Thomâ part. 3. summ. q. 8. art. 1. Opusc. 3. Comp. Theol. c. 30. & Scholasticis communiter, triplex: Una in ordine, dignitate & præminentia in situ: *Ita & Christus est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primas tenens*, Col. I, 18. Quâ ratione est quoque caput Angelorum, Col. II, 10. Eph. I, 21, 22. Secunda in diffusionione virtutis & influxus, quia à capite omnes sensus & motus derivantur in membra corporis: Et ita Christus speciali ratione est caput Ecclesiae, in cujus membra influit, motus sensusque spirituales impertit. *Is enim salutem dat corpori*, Eph. V, 23. *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, Joh. I, 16. Tertia, quoad conformitatem in natura: Atque sic caput Angelorum planè non est, sed tantum hominum, Hebr. II, 16. *Membra sumus corporis ipsius ex carne ejus & ex ossibus ejus* Eph. V, 30. Ergo & secundum humanam naturam est caput Ecclesiae. Falsa tamen est sententia scholasticorum, Thomæ, aliorumque, nec non Becani part. 3. Theol. Schol. Tr. I. cap. XX, §. 9. gratiam Christi, secundum quam est caput Ecclesiae, in gratia habituali, adeoque finitâ constituentium, quos redarguit Musæus loco all. n. XII. sicuti & id improbamus, quod Christo, ut homini nullum tribuant influxum in corpus Ecclesiae mysticum, præter moralem sive meritorium,

E

Conf.

Po-  
ne  
nim  
est  
V,  
en  
n u-  
na-  
que  
r.  
t ad  
rio-  
po-  
in  
atis  
est,  
i re-  
luc.  
l. 6.  
eps,  
, 15.  
m  
ph.  
m-  
oris  
eo-  
et  
r  
it  
n  
er-  
an-  
ve-  
næ  
us  
pe  
X.





Conf. Becan. l. c. & Tom. II. oper. in Man. Contr. l. I. c. 4. n. 18. Non enim tantum nobis vi meriti Christi à Deo dona gratiæ supernè obtingunt; sed Christus etiam *Ἰεσὺς ὁ πῶν* & secundum humanam naturam supernaturalis gratiæ habitus & actus physicè producit, actione in nos terminatâ, non quatenus solum movet voluntatem Dei. Nam secundum quam naturam Christus collocatus est ad dextram Dei, secundum illam etiam, quoad usum plenarium, constitutus est caput Ecclesiæ physicum, (morali & meritorio oppositum.) Sed secundum humanam naturam, secundum quam exsuscitatus est è mortuis, collocatus est ad dextram Dei, E. Major ex natura sessionis ad dextram Dei patet, quæ non est meritoria, sed meritorum physicè applicatoria, secundum operationem, quæ exseritur pro mensura cujuscunque membri, Eph. IV, 16. Minor est Apostoli, Eph. I, 10.

## §. XXX.

Quapropter sub generali & unversali hoc Christi Capitis influxu continentur omnes functiones in Ecclesiæ ædificationem institutæ, adeoque simul tota potestas Ecclesiæ commissa, quæ etiam est *commissura subministrationis, per quam coagmentatum corpus, juxta actum* (i. e. ex vi intus agente) *pro mensurâ unicujusque membri, incrementum facit in ædificationem sui ipsius per charitatem, juxta, all. l. Eph. IV, 16.* Habent enim functiones Ecclesiasticæ rationem commissurarum subministrationis, sive passivè, sive activè acceptarum. Prius, cum sint commissuræ à Christo capite originem ducentes. Posterius, cum sint commissuræ subministrantes membris aliis capitis Christi influxum. Utrumque patet ex antec. v. 11, 12. & I. Cor. XII, 18. *Deus posuit membra unumquodque singulatim in corpore, quemadmodum, voluit; & v. 28. Alios quidem Deus posuit in Ecclesiâ, primum Apostolos, deinde Prophetas, (ac Evangelistas Eph. IV, 11. quæ munia sunt temporaria Ecclesiæ plantandæ) tertio Doctores (ac Pastores quæ munia sunt perpetua & Ecclesiæ plantatæ) deinde potestates, dona sanationum & genera linguarum, (quæ dona miraculosa & ministrantia simul cum Apostolis interiêre,) subsidia & gubernationes, ex quibus illa in sublevandâ pauperum indigentia, & curâ agrotorum, hæ in regimine externo Ecclesiæ occupantur. Et ita quæ-*



quælibet commissura subministrationis dependet à Christo, ut capite, tam ratione liberæ institutionis, Matth. XVI, 19. C. XIIX, 18. quàm applicationis ad certas personas, idq; tum immediatè, Joh. XX, 21. Matth. ult. 19. Marc. ult. 15. Gal. I, 1. Act. I, 26. (licet per declarationem fortis,) tum mediatè, interveniente operâ Ecclesiæ, non instituyente hanc potestatem, sed exercitium ejus committente, Act. XIV, 23. Matth. IX, ult. *Dominus messis extrudit operarios in messem suam.* Archippus mediatè vocatus ministerium à Domino accepit, 1. Cor. IV, 17. Ideoque non intercedente aliâ causâ principali, subordinante, per quam à Christo in ministros derivetur. Ecce Regem & caput verè Architectonicum!

## §. XXXI.

IPSI IMMEDIATE, PRIMARIO ET QVO-  
AD JURIS HABITUM.) De subjecto Ecclesiasticæ potestatis prolixè agit M. Antonius de Dominis lib. V. de Repl. Eccles. cap. XII. & dicit difficultatem circa illud inter Scholam Parisiensem & Rom. Ecclesiam jamdiu ventilari, num videlicet hæc potestas immediatè conferatur primùm communitati Ecclesiæ, & per illam ipsius ministris, Episcopis & Presbyteris: An verò immediatè Episcopi & Presbyteri à Deo illam habeant, & ipsi sint immediatum subjectum hujus Potestatis. Parisienses, præsertim Almaynus de Potest. Eccles. & Laicâ, & Joannes Major in Matth. c. 16. immediatum Ecclesiasticæ potestatis subjectum faciunt Ecclesiæ communitatem, quæ prius instituta sit, Matth. 18. quàm Petro Johan. ult. commissâ, ita, quod si Christus Petro illam curam non dedisset, nihilominus, secundum Almayn. c. 4. Ecclesia aliquem potuisset instituere Papam; Unde suprema potestas demùm secundariò fuisset in Papâ. Hi tamen omnes M. A. de Dominis cæcorum pugnam repræsentant. Erroris causa ipsi videtur falsissima suppositio subjecti universalis, ad quam neque natura, neque scriptura, neque sapientes cogant. In contrariam sententiam n. III. profert, *quod Christus Dominus totum regimen, totamque administrationem Ecclesiæ suæ solis commiserit Apostolis, nihil multitudini, quæ regem debeat, non regere, instrui & non instruere, sacra accipere, & non dare.*

(1)

4) A subjecto primario quo ad Juris habitum.



Loco vero Apostolorum non successisse ipsam Ecclesiam communitatem, sed sacros illos ministros, quos ipsi autoritate à Christo acceptam instituerunt, & sic deinceps continuatam ab Apostolis successione. Verum & ipse Antonius cœcutientibus oculis pugnam spectavit cœcorum. Datur utique subjectum primarium sive immediatum potestatis sacræ sive Ecclesiasticæ, distinctum ab objecto secundario & mediato, (quæ subjecta Scholasticis barbarè dicuntur subjectum Quod & Quo) cum possessio vel habitus juris differat ab ejus exercitio & usu. Ad multiplicationem accidentium ratione terminationis & convenientiæ, multiplicantur etiam denominationes subjectorum.

## §. XXXII.

Quapropter aliâ viâ quoscunque adversantes debellare aggredimur sub clypeo sequentis positionis: *Omnia Bona Ecclesie & omne Jus Sacrum ecclesiasticum, quoad substantiam vel actum, primum Ecclesie, tamquam subjecto immediato, perpetuo manet, ita ut etiam in casu necessitatis per quoslibet suæ communitati addictos possit dispensari & administrari, nunquam tamen resignari alicui statui & subjecto mediato, ac vel in solum Clerum, vel Magistratum, vel plebem ita transferri, ut eo nunquam amplius uti queat ordo resignans;* Verba sunt Dannh. Tom. 1, Theol. Conf. part. II, dial. 3. sect. 3. q. 6. p. 919. & Hodosoph. phæn. II, p. 133, & 153. B. Hülsemanni in Breviar. suppl. cap. XIII. n. III. & cap. XIX. n. V. Conferatur etiam Gerh. Loco de Minist. Eccl. n. 87. Veritas asserti generaliter patet ex insolubili concatenatione Ecclesie & potestatis, Ecclesiam gubernantis tanquam subjecti & inseparabilis proprii. Id indigitat Paulus, dum Ecclesiam docet esse supra Ministros ratione autoritatis, 1. Cor. III, 21. 22. *Omnia, inquit, vestra sunt, sive Paulus, sive Apostolos, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive presentia, sive futura; omnia inquam, vestra sunt. Vos autem Christi.* Ideoque Ecclesia, immediate subjicitur Christo. Agnoverunt immediatum & inseparabile illud nexum Ecclesie & Ecclesiasticæ hujus potestatis Theologi Schmalcaldici de Pot. & Jurisdictione Episcoporum inter alia ita differentes: *Ubicunque est Ecclesia, ibi est Jus administrandi Evangelii. Quare necesse est, Ecclesiam retinere jus vocandi, eligendi*



*Et ordinandi ministros. Et hoc jus est donum propriè datum Ecclesie, quod nulla humana Autoritas Ecclesie eripere potest, &c. Agnovit etiam Joh. Ferus, Pontificius, ab Hülsemanno allegatus in Man. Aug. Conf. Disp. XV, n. 37. p. 674. qui post alia ita colligit: Ubi fides, ibi Ecclesia: Ubi Ecclesia, ibi Sponsa Christi; Ubi Sponsa, ibi omnia, quæ Sponsi sunt. Ita Fides omnia secum habet, quæ ad fidem sequuntur, Claves, Sacramenta, potestatem.*

## §. XXXIII.

In specie verò immediata convenientia totius potestatis Ecclesiasticæ, colligitur ex hoc, quod potissimæ & primariæ partes ejus immediatè convenient Ecclesie. Nam quicquid dicitur de partibus componentibus, id etiam dicitur de toto composito. Jam vero 1) Ecclesie immediatè promissa est potestas Clavium, Matth. XVI, 19. XIIX, 18. coll. cum v. 19. 20. unde colligunt Theologi Smalcaldici Tr. de Pot. & Prim. papæ, ex Historiis, quod claves non ad personam unius certi hominis, sed ad Ecclesiam pertineant principaliter & immediatè. Hoc argumentum infra paulo plenius enucleabimus. Confirmatur autem ulterius hæc sententia ex omnibus illis Scripturæ locis, in quibus Ecclesia dicitur uxor & sponsa, Ps. 45, 10. Joh. III, 29. mater familias Ps. 68, 13. Nam claves domus dantur matrifamilias, sponsæ & uxori possessivè: Ministris autem œconomis, 1. Cor. IV, 1. dispensativè quoad usum. Hinc Joh. Ferus in cap. 16. Matth. rectè dicit: *Ecclesia habet claves, ut Domina ac sponsa, Petrus non ut Dominus, sed ut minister.* 2) Idem probatur ex vocatione & probatione Doctorum, quæ toti Ecclesie competit, ut infra videbimus. Præsertim verò id patet in casu necessitatis. Nam sicuti exercitus longinquo in solo, classis in mari, duce mortuo, sibi ducem legit, ex lege necessitatis; cui tamen aliàs, præsentè principe, nullum jus eligendi, ne quidem pro ratâ parte, competit; Ita fanè Ecclesia, non deterioris conditionis, sed melioris, quippe cui tamquam tertiæ Hierarchiæ parti, etiam in ordinario statu, juris exercitium pro ratâ competit, uno alterone ordine lupescente, aut negotii sui non sat agente, ut tempore Apostolorum, ubi status Politicus adhuc extra civitatem Dei constitutus erat; Vel tempore Reforma-



tionis Lutheranae, quando inquinati erant filii Levi; Vel etiam in casu obsessae civitatis, omnibusque pastoribus peste vel fame enecatis, tunc, inquam, ecclesia & quaelibet communitas Christiana, ministri indiga, potest sibi adsciscere pastorem, judicare de illo, eodem uti, & indignum exauctorare. Ad rem Dannh. Hodof. phæn. II. p. 153, 154. *Ecclesia ordine deficiente, in casu necessitatis, per quoslibet suae communitati idoneos, à Christo Reges (NB.) & sacerdotes factos. (Apoc. I. 6) & docere, baptizare, & absolvere potest; Et Gallis adventantibus, dormitantibus (adde lupefcentibus) canibus, capitolium petentibus, prodere furta, clamare, se defendere. Tunc enim ne anseribus quidem licet esse mutis: Nec, cum omnia ardent, alia quam charitatis expectanda est vocatio.* Notanter fundamentum hujus potestatis inter alia constituit officium Regale & Sacerdotale, cuiuslibet Christiano proprium. Quorsum, etiam respiciunt Theologi Schmalcaldici, qui l. c. urgent dictum Petri I. Pet. II, 9. *Vos estis regale sacerdotium. Quae verba, inveniunt, ad veram Ecclesiam pertinent, quae cum sola habeat Sacerdotium, certè habet jus eligendi & ordinandi ministros.* Et paulo ante: *In casu necessitatis absolvit etiam laicus, & fit minister ac pastor alterius;* Quibus subjungunt historiam ex Augustino de duobus Christianis in navi, quorum alter baptizaverit *κατηχήμενον*, & is baptizatus deinde absolverit alterum. Addit Dannh. Theol. Consc. Tom. I. p. 1120. *sicut laicus laicum potest absolvere in casu necessitatis; Ita & idem eundem excommunicare, hoc est, ex verbo legis eidem denunciare, se intus in conscientia sua excommunicatum esse.* Quod autem jus habet Ecclesia, tanquam Sponsa aëconomæ & prædæ dispensatrix in quocunqve casu, id primò habet & originaliter.

## §. XXXIV.

Præstantiam hanc Regalis Sacerdotii non attendit M. Antonius supra allegatus, quando multitudini omnem potestatem denegat: Cujus contrarium ex hætenus dictis patet. Deinde etiam hæc nulla est differentia inter marem & fœminam, Gal. III, 28. Quod Ecclesiae in genere promissum est, id nulla ratione fœminis denegari debet. Aquila & Priscilla propagabant regnum Christi, Act. XIX, 26. Rom. XVI, 3. Hinc etiam legiti-



gitimatur *γυνακοβαπτισμος*. Imò, quod si etiam in casu necessitatis infidelis, qui non est membrum Ecclesiae, neque officio sacerdotali inauguratus, ex jussu fidelis & Ecclesiae, (nam suo nomine non potest, quia non est Ecclesiae membrum) officio aliquo spirituali fungatur, si e gr. Mulier Christiana in deserto enixa, omni Christianorum ope destituta, infirma ex se, Judaea ancillam uteretur, ad proles infirmæ initiationem, tunc ejusmodi actus erit ratus, cum instrumentum executionis non suam virtute, sed elevatione superioris agentis producat effectum, qui à dignitate instrumenti planè non dependet. Conf. Dannh. Hodof. phæn. X. p. 1011.

## §. XXXV.

3) Etiam assertionis nostræ veritas elucet ex appellatione Ministrorum. Cujus enim ministri sunt & dicuntur Pastores, illi quoque originaliter, primariò & immediatè competit potestas, & ministris secundariò ac mediatè; tertium non datur. Pastores autem sunt & dicuntur ministri Ecclesiae, uti ex supra dictis clarum est. E. Allegare hic possemus praxin Ecclesiae primitivæ, sed reservabimus suo loco. Conf. interim Gerh. Loco de Min. Eccl. n. 91. & seqq. & in Comm. ad h. l. Chemnit. Part. 3. LL. CC. p. 130.

## §. XXXVI.

NEC NON QVORUNDAM ACTUUM <sup>(K)</sup> EXERCITIUM ) Ecclesiae hætenus immediatam possessionem, juris Ecclesiastici, nec non exercitium ejus in casu necessitatis asseruimus. Sed hisce solis amplitudo Regalis sacerdotii non absolvitur, cum & præterea dentur quaedam potestatis Sacrae immediatè Ecclesiae competentes partes, quarum exercitium nullâ conditione status, vel exceptione temporis limitatur. Atque ut distinctè progrediamur juxta receptam potestatis Ecclesiasticae distributionem, 1) Quoad potestatem ordinis, quam alii vocant ministerii, fideles N. T. sunt Sacerdotes non tantum respectu offerendarum spiritualium hostiarum, Deo acceptabilium per Christum Jesum, quales sunt precatio P salm. CXLI, 2. Apocal. V, 8. gratiarum actio, Hebr. XIII, 15. Ose. XIV, 3. oblatio corporum in hostiam viventem, sanctam, acceptam, acce-

Et Juris immediatè competentis exercitium.



acceptam Deo : Rom. XII, 1. de quibus August. I. xx. de Civ. Dei. cap. 10. ( Ad quem locum non sine injuriâ in nostram Ecclesiam temerariam glossam adjicit, Ludovicus Vives, dicens, *hunc locum Augustini cum illis scriptura locis, nempe Apoc. I. 5. 1. Pet. II. nihil favere heresi Lutheranorum, qui volunt Christianos omnes ex æquo sacerdotes esse, & posse consecrare corpus & sanguinem Christi: Id quod nemo orthodoxorum unquam asseruit; quasi vero sacerdotium tantum consisteret in celebratione Missæ. ) Sed & respectu doctrinæ & Scientiæ Evangelicæ, à Jeremiâ cap. xxxi, 34. intimata; *Non docebit ultra quis proximum suum, aut vir fratrem suum, dicens, cognoscite Dominum, sed omnes me cognoscent à minimo eorum usque ad maximum eorum: & ab epistolâ ad Ebr. c. VIII, 11. applicatæ. Quâ scientiâ impleti invicem alius alium admonere valeat. Rom. xv. 14. singuli singulos edificent, & consulentur pusillimos 1. Th. v, 11. 14. cap. IV, 18. & probent spiritus, 1. Joh. IV, 1. quorum pertinet judicium de controversiis fidei, & vocando pastore. II.) Quoad potestatem Jurisdictionis interioris, tanquàm Reges spirituales redarguere possunt fratres in causâ offensæ, pœnitentibus remittere debita & convertere errantes à veritate Matth. XIX, 15. Luc. XVII, 3. Jacob. V, 19. nec non ab *æcclesiis* se subducere, 2. Thess. III, 6, 14. III.) Quoad potestatem jurisdictionis vel ordinis exterioris pertinet ad Ecclesiam totam cura externa Religionis, boni ordinis & Politicæ ecclesiasticæ, Phil. IV, 8. 1. Cor. XIV, ult. Huc refero ministerii constitutionem, Salis insipidi rejectionem, cultus divini determinationem ratione circumstantiarum, temporis, loci, &c. quorum cura ad omnes æqualiter pertinet, quanquam actuale regimen & executio actus certo ordini relinquatur. Ita post effusam in Laicos N. T. majorem lucem cognitionis de rebus divinis, quàm in V. T. etiam bona pars axiomatû sacerdotaliû in laicos N. T. est translata, quod spectat simul ad differentiam V. & N. T. de quâ Epist. ad Hebr. c. 7. 8. & Hülsem. Brev. suppl. cap. XIX. n. II. Huc etiam spectat, quod liceat Christianis invicem contendentibus in arbitros causarum privatos & Christianos sequestros compromittere, ob litium moras & scandala evitanda, absque tamen derogatione Magistratus publici, ita ut Bel-**

lar-



larminus veterariè hæc trahat ad depositionem Magistratus infidelis lib. V. de Rom. Pontif. c. 7. ideoque dignâ censurâ notatus à Dannh. Hodom. Pap. phant. VI. p. 1362. & Rob. Abbot, Prof. Regio Oxoniensi de Potest. Regiâ contra Bellarm. & Fr. Svarez prælect. 7. n. V. p. 92.

## §. XXXVII.

Cæterum cycoples non sumns, ubi omnes obstrepant domi & foras, nemo alterum audiat, nullâ donorum, laborum, vocationum & distinctorum statuum habitâ ratione. Quorsum aliàs Apostoli quæstio, 1. Cor. XII, 29, 30. *Num omnes Apostoli? num omnes prophetae? num omnes Doctores? num omnes potestates? num omnes donum habent sanationum? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur?* Produunt hîc sese Anabaptistarum, Fanaticorum, Photinianorum & Socinianorum deliria, à genere ad speciem, à privato munere ad publicum in Ecclesiâ procedentia: quæ specialiter exanimata reperies in Gerh. LL. de Minist. Eccles. n. 65, 66. & seqq. nec non DN D. Calovii Socinianismo profligato, & Collegio Anti-Sociniano DN D. Scherzeri, Mecœnatis, Præceptoris, Studiorumque meorum Promotoris piâ veneratione æternum suspiciendi.

## §. XXXIIX.

De hisce vero communis officii partibus, & jure immediate ac radicaliter in his Terris Ecclesiæ competente tenendum est, quod supra diximus, illud non posse resignari, alienari & transferri privativè, ab uno statu hierarchico in alium. *Juri divino*, inquit B. Hulfem. Brev. cap. XIX, n. V. *nullus status renunciare potest.* Delegari quidem potest certis personis, alicui collegio vel consistorio, Ecclesiæ repræsentativo, cumulativè, sed non transferri privativè, præsertim quod judicium discretionis & approbationis de rebus fidei, doctrinâ & vitâ præficiendi pastoris concernit, quod laicus fert aut tacitè, non contradicendo, quando cõtradicendi tempus est: Aut expressè proferendo suffragium suum, vel etiam renitendo, si justas habuerit causas. Nam præter hoc, quod facultatem judicandi nemo possit transferre in alium, autoritas cognoscendi de publicè credendis & faciendis, non est privilegium utilitatis vel honoris privati, cui

F

quis.



quisque renunciare, idque in alium transferre possit, sed est pars oneris & officii à Deo impositi, obligantis etiam laicos ex debito. *Non debetis credere cuius spiritui, sed probare spiritus, an sint ex Deo,* 1. Joh. IV, 1. *Unusquisque nostrum, qui iudicat de dictis vel factis proximi, licita & iusta, an illicita & iniusta sint, de se ipso rationem redditurus est Deo.* Rom. XIV, 12. Toti plebi dicitur: *Discipite ex vobis fratres, viros septem boni testimonii, plenos spiritu sancto & sapientiâ, quos constituamus super opus hoc,* 1. Cor. XVI, 3. Ideo Ecclesia comparatur corpori: Et quemadmodum membra corporis non possunt vel sua propria officia, vel omnium membrorum, delegare uni membro, nam *corpus non est unum membrum, sed multa,* 1. Cor. XII, 14. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? v. 17. non potest oculus dicere manui, non est mihi opus te, v. 21. Imò multò potius, quæ videntur membra corporis imbecilliora esse, necessaria sunt, v. 22.* Ita similiter in Ecclesiâ potestas alterutrius partis integrantis Ecclesiam, vel etiam toti aggregato concessa, non potest transferri in partem unam.

## §. XXXIX.

Observent id 1) Romanenses, qui jus decidendi controversias fidei, constituendi ritus ecclesiasticos, excommunicandi peccatores scandalosos & eligendi Episcopos soli Præsuli Romano per modum monopolii deferunt. Quicquid verò sit de statu ordinario, (de quo infra;) Attamen quid circa Electionem Episcoporum, etiam in Ecclesiâ Romanâ, in casu necessitatis, quo Pontifex non vult providere de Episcopis, per affectatas moras, liceat Laicis, inter alios præprimis demonstravit Ismaël Bullialdus libro priore, Pro Ecclesiis Lusitanicis ad Clerum Gallicanum, ubi postquam per decem secula Jus designandi Episcopos Imperatoribus Christianis usitatum recensisset, pag. 19. tale format conclusum: *Cum ex ante actorum temporum historis constet, summos Pontifices Ius illud Bullis suis designandi ac instituendi Episcopos, Principum consensu tacito vel liberalitate acquisivisse, dum disciplinam Ecclesiasticam summarum Potestatum neglectu ac incuriâ, ac bellorum tumultibus labantem, ipsi per se, vel per Legatos Apostolicos instaurare aggressi sunt: tenentur ipsi præstare illa, ob quæ non præstita à Regibus & Principibus, Ius illud Episcopos designandi, quasi ad se devo-*



devolutum usu ceperunt. Quod si Ecclesie disciplinae & necessitatibus  
 habeat subveniant, negligentque quacunque de causa illis prospicere, cer-  
 tissimum est, ad Reges & Principes Ius, quo olim cesserunt, revolutum  
 esse: Et ipsos ad prospiciendum Ecclesie rebus, & imminentibus periculis  
 occurrendum, conscientiae & officii sui nomine obstrictos teneri. Con-  
 ferantur seqq. ubi consentientem adducit Ferd. Vasquium 2.  
 Ill. Contr. cap. 51. Hinc p. 23. idem consilium innotuisse  
 scribit Anno 1399. ab Henr. III. Castellae Rege, quando schis-  
 mate rupta Ecclesiae unitate, Benedicto XIII. obedientiam re-  
 nunciaverunt Castellani. Idem quoque in Gallia, trium simul  
 Pontificum schismate Ecclesiam universalem ab Anno 1408. in  
 partes distrahente. Quibus addenda veniunt Concordata  
 Galliae Anno 1517. inter Leonem X. & Franciscum I. Galliae Re-  
 gem, edita & notis illustrata à Petro Rebuffo, in quibus nomi-  
 natio personae idoneae soli Regi absolute concessum, Jus au-  
 tem postulandi & eligendi Praelatos Canonicis in tota Gallia  
 ademptum. Nec non 2) Reformati, paucis exceptis, qui cum  
 Bilsone, Episcopo Anglicano, de Perpetua Ecclesiae Christi Gu-  
 bernatione cap. 9, 12, 13, 14. soli Clericali statui rapiunt jus vo-  
 candi & removendi Pastores Ecclesiae Apostolicae, nondum institu-  
 tae; nec putant cum legitima potestate Ecclesiastica consistere  
 posse jus Patronatus, prout contra Vedelium contendunt Tri-  
 glandus cap. 18. & Revius quaest. IV. 3) Arminiani, solique  
 Magistratui potestatem architectonicam, quoad externum  
 Ecclesiae regimen vindicantes; cum quibus etiam facit Hugo  
 Grotius in Pietate ordinum Hollandiae ac WestFrisiae. Horum  
 assertionibus cum scripturae pugnantibus nolentes volentes  
 subscribunt quidam alii, quicumque sint, qui Populum omne  
 jus suum in negotiis ecclesiasticis curandis in Principem  
 Christianum contulisse profitentur, atque huic etiam in sacris  
 potestate *ἀνεπιθύτου* concedunt. Vel Jus plebis tantum  
 ex defectu nasci, non positione, illudque tantum in casu neces-  
 sitatis obtinere, scribunt. Ab his omnibus quantum distet  
 sententia orthodoxorum, constare poterit ex verbis Dann-  
 haueri, è diametro oppositis, quae habentur Tom. 1. Theol.  
 Conf. p. 11. Dial. 3. sect. 3. q. 5. p. 910. *Non potuerunt conscienter*



monopolio quodam ad se jus vocandi rapere Reges, cum perpetua exclusione Cleri & plebis. Habet adhuc hodie Magistratus Politicus exclusiam vocandi ad ministerium, vel etiam exauctorandi politicam, non tamen moraliter & conscienter eam exercebit, tanquam Christianus Magistratus, si absolute excluso ministerii populari consensu vel expresso vel tacito vocaret ac obtruderet quilibet pro pastore lupum, aut alias pastorem rationabiliter invisum.

(L)

Subjectum  
mediatum si-  
ve secundari-  
um quoad Ju-  
ris exercitium  
ordinarium &  
plenarium.

§. XL.

MEDIATE AUTEM, SECUNDARIO ET QVOAD JURIS ORDINARIUM EXERCITIUM TRIBUS IN ECCLESIA STATIBUS PRO RATA PARTE.) Ecclesiam jam constitutam ex tribus Statibus, tanquam partibus integrantibus, non essentialibus, in actuali œconomia suorum jurium & conservanda Politia atque quilibet Status succurrit suum agendo, quod ipsi competit jure divino. Ideoque hi Status, ratione juris exerciti, titulo subjecti mediati & secundarii insigniuntur, quo inhabili reddito, vel pereunte, jus omne recidit ad subjectum primarium, ut supra ostensum. Intimat hunc ordinem & distincta officia Apostolus I. Cor. XII, 18. *Nunc autem Deus posuit membra, unumquodque singulatim in corpore, sicuti voluit: Id tamen sine affectione tyrannicæ potestatis, omnium Jurium absorptivæ. Membrum unum non potest esse totum corpus, nec per consequens totius corporis potestate gaudere: Sed tantum pro rata parte. Est autem omnis actus regiminis in ecclesia exerciti vel internus & spiritualis, vel externus, respiciens tantum ea, quæ ad conservationem illorum priorum spectant, ut vocatio ministrorum, constitutio adiaphorum &c. Priores sunt simpliciter incommunicabiles reliquis statibus tam ratione subjecti agentis, quod alteri delegari nequeant ordinario & in Ecclesia constituta, non perturbata: quam ratione exercitii sive operationis, quod excludant omnem concursum alterius Status. Posteriorum autem alii sunt incommunicabiles, alii comunicabiles. Incommunicabiles quidem, quales sunt introductio veræ Religionis, ejusdem conservatio, & reformatio, tam in regno, quam familia, convocatio conciliorum, Scholarum fundatio, administratio bonorum Ecclesiasti-*



fiasticorum &c. Communicabiles sunt vocatio ministrorum, dijudicatio controversiarum fidei, exercitium disciplinae Ecclesiasticae, constitutio adiaphorum &c. Respicit autem haec communicabilitas operationem, non adeo subjectum operans, quasi aliquis Status jus suum possit committere alii. Valet enim tantum commissio delegativa, & ad tempus, non abdicativa, & in perpetuum. Ita Princeps jus Episcopale sibi competens quoad aliquas partes confert in Consistorium, non tamen abdicative. Hinc Aug. Conf. in 7. art. Abusuum: *si quam habent (Episcopi) aliam vel potestatem (praeter potestatem praedicandi Evangelii & clavium) vel jurisdictionem in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonii, aut decimarum &c. hanc habent humano jure; ubi cessantibus ordinariis coguntur principes vel inviti, suis subditis jus dicere, ut pax retineatur.* Et paulo ante: *Si quam habent Episcopi potestatem gladii, hanc non habent Episcopi ex mandato Evangelii, sed jure humano donatam a Regibus & Imperatoribus, ad administrationem civilem suorum bonorum. Hac interim alia functio est, quam Ministerium Evangelii.* Neutiquam tamen ejusmodi delegatio arguit abalienationem potestatis in delegante, aut in delegato & deputato commissario jus perpetuum fundare potest, quod repugnat omni Juris principiis; Ut adeo in nihilum recidant argumenta non pauca, quibus ex particularibus factis, perpetuam potestatem & Jus Ecclesiasticum sibi afferunt Pontifices Romani contra Impp. Reges & principes. Juxta factam ergo distributionem partium Regiminis Ecclesiastici primo loco considerabimus actus cujuslibet Status incommunicabiles ratione exercitii; Deinde communicabiles. Cum autem Jura Status Oeconomici & Politici simul radiceantur in lege Naturae, ideo ex hoc generali fundamento, quantum angustia hujus chartae concedit, eadem deducere, nunc ordo translationis requirit.

§. XLI.

QVO (RESPECTIVE PRÆTER POTESTATEM A JURE NATURÆ ET GENTIUM INDULTAM) Statum nempe Oeconomicum & Politicum, indigitamus, quibus hoc peculiare est præ statu pastorali, quod

F 3

ipsis

(M)

Potestatis Secularis Jus Lege Naturæ concessum, sive principum dirigens Naturale.





ipsis Lege Naturæ Jus quoddam seu potestas circa Religionem & Ecclesiam sit concessa, etiam antecedenter ad legem positivam Divinam, illam specialioribus actibus augmentem. Uterque autem Status objectorum amplitudine tantum & angustia differunt, cæterum juribus conveniunt. Quantum enim Jure naturæ princeps potest in suo territorio, tantum vi patriæ & œconomicæ potestatis pater familias in suâ familia potest. Quapropter ut unico ductu duas lineas absolvamus, sufficiat nobis, in fundamenta Juris Ecclesiastici, objective sic dicti, & Statui Politico debiti, inquirere. Est autem ex mente B. Meisneri diff. de Legibus, l. 3. de Leg. Nat. q. XI. & B. Brochmandi Tom. 11. s. 7. Theol. p. 7. Lex naturæ *Dictamen menti nostræ à Deo impressum ostendens, quæ bona faciendæ & mala fugiendæ, ut Deus queratur & glorificetur, atque pax politica & externa disciplina conservetur.* Finis magis principalis est gloria & Cultus Dei; minus principalis Salus Reipl. Consequenter & Magistratus & œconomi prima cura esto Religionis, pietatis & honestatis, sine quâ Gloria Dei & salus hominum obtineri nequit. Obligatio enim ad finem, maximam subditorum salutem, insert obligationem ad media, ab auctore Salutis ordinata. Ideo officium Magistratus (& Patris familias) non absolvitur solum tranquillitatis & civiliter honestæ vitæ, sed potissimum & primario omnis veræ Pietatis & salvifici cultus introductione & conservatione. Falsum cultum non præcipit, sed prohibet Lex naturæ. Finis autem Regiminis civilis minus principalis est Salus Reipl. Cujus fundamentum Similiter est Religio, & vinculum omnium Societatum. Solve hoc vinculum, non constabit sua Principi Reverentia, civibus securitas, pactis aliqua fides, & Juramentis sua sanctitas, sed omnia ruent in deterius. Id perspicentes Legislatores etiam Gentilium prudentissimi ubique pro fundamento Reipl. bene gerendæ religionem posuerunt. Numa religionibus & jure divino populum devinxit, effecitque, ut fides & jus jurandum civitatem melius, quam legum pœnarumque metus regeret, referente Tacito l. 3. Ann. c. 26. Conf. Forstn. in Notis Pol. ad h. l. Plato l. 10. de Legibus, c. 1. pitis damnat religionis temeratores: Aristoteli l. 7. c. 8. Pol. prima  
functio-



functionum Reipl. optimæ est cura sacrorum. Hinc Cyrus apud Xenophontem l. 8. educ. optat Persas esse religiosos, quo sibi addictius serviant. Ex eadem ratione Lycurgus, Legislator spartanorum Apollinem, Zoroaster Persarum Horomasin, Draco & Solon Athenensium Minervam, Minos Cretensium, Jovem, Charondas Carthaginensium Saturnum, alii alios sui instituti auctores finxere, quò auctoritate Deorum firmatas leges libentius admitterent. Congerere hic possem in cumulum innumera exempla Gentium, quæ Religionis vi ad ordinandam conservandamque Reipl. aut ad victorias & fortunam feliciter usæ sunt. Id vero esset omnium historiarum seriem describere, quibus diu immorari nec institutum nostrum, nec tempus patitur; neque veritas asserti, lege Naturæ firmata, opus habet, ut confirmationem ex consuetudine Gentium accersat. Syllogem tamen exemplorum in omnes gentes diffusorum invenies apud Arnif. l. 1. de Repl. c. 1. & 6. Hug. Grot. de Imperio Summ. Pot. circa sacra, cap. 1. Herm. Conring. de Autoritate Magistr. circa sacra, th. 62. 63. & seq. Rectè igitur Religio tanquam fundamentum Reipl. conservandæ supponitur. Omni scelere major improbitas est, Religione non alio fine uti, quam ut regnandi instrumento. Multis enim impiis Religio non nisi inventum videtur Politicum, ut quos ratio non possit, eos ad officium religio ducat. Unde Wilhelmus Ferdin. ab Effern. in Manual. Polit. seu de Ratione Status l. 2. punct. 11, rectè contra Politicos illos disputat, qui statuunt Christiano Principi licere religionem assumere, fingere, dissimulare, pro ratione status seu utilitate Reipl. Conf. Reink. de Reg. sec. & Eccl. lib. III, clas. 1, cap. 1. n. 6. 7.

## §. XLII.

Haftenus evicta obligatio Magistratus ad producendam in subditis animæ salutem nimis dura, imò injusta alicui videri poterat, propter impossibilitatem præstationis, cum homines per lapsum amiserint facultatem omnem producendi & consequendi finem suum naturalem, salutem animæ, & felicitatem æternam. Hisce tamen non obstantibus, remansit in homine obligatio, efficaciter & ad extremum virium suarum intendendi



di hunc finem, pro se, & quos habet, subditis suis. Res se habet, sicut cum decoctoribus æris alieni, de quibus Moralista tradunt, quod inhabilitas, seu impossibilitas exsolvendi debitum, propriâ & nefariâ culpâ contracta, non tollat obligationem; quin potius debitor ad summum conatum teneatur, & propter deficientem expletionem ad malum accipiendum reddatur idoneus. Remansit dein quoque apud Magistratum (idem subsumes de patrefamilias intra limites familiæ suæ, mutatis mutandis) potestas pædagogica ad finem supranaturalem, quæ non solum est defensiva contra imminentes persecutiones, & coercitiva doctrinæ falsæ, vel refractariorum, ne doctrinæ & cultui sacro, libris authenticis & symbolicis definito, petulanter contradicant; sed & (NB. loquimur hîc de potestate Magistratus abstractivè, non concretivè consideratâ) directiva externa, obligans subditos per leges ad ipsam substantiam cultus veri, in territorio recepti. Sicuti Assa 2. Paral. XV, 8. & seq. non solum extirpavit falsos idololâtricos cultus, sed etiam subditos ad fœdus cum Deo in eundum, idque juramento confirmandum adegit. Ita Josias librum legis publicari & prælegi jussit, ut intellecto errore omnes emendationi studerent. 2. Paral. 34. v. 30. 2. Reg. XXIII, 2. 3. *Et quamvis potestas hæc directiva externa non possit producere in subditis, motus, actiones vel habitus supranaturales & salvificos: Non sequitur tamen inquit Hülsem. Brev. suppl. cap. xx. n. III, §. 3. quod solum hominem externum, & facultatem locomotivam pro objecto potestatis suæ habeat, exclusam mente & affectibus: sed potissimum mentem & conscientiam respicit, quam informat genericâ ostensione veri cultus, & discretionem à cœtibus heterodoxorum, ita tamen ut moraliter saltem alliciat, physicè & violenter cogere non possit. Ad cultum enim, qui obligat, imperat voluntati liberæ & cogi nesciæ. Nam non ferenda est sententia Grotii de Imp. Summ. Pot. Circa sacra c. 3. n. 1. qui internas actiones per repercussum demum imperi materiam facit, quatenus aliqua actio per imperantis interdictionem facta est illicita, & cogitando talem actionem ut faciendam eligere, illicitum est: Non quia cogitationi propriè lex humana sit posita, sed quia nemo honestè potest velle facere, id quod factu turpe est. Imperio enim*

Magi-



Magistratus subjici oportet, non tantum propter iram, i. e. supplicia, externas actiones pravas comitantia, sed & conscientiam, ut Apostolus loquitur Rom. XIII, 5. (ubi non sine emphasi *πάσα ψυχή* subjicitur) cui repugnat principi recta imperanti ex toto corde non obedire. Hinc etiam in institutione conjugalis societatis Deus Adami potestati non minus voluntatem subjecit, quam actiones externas. Gen. III, 16.

§. XLIII.

Potestas autem illa Magistratus ne utiqvam se extendit super formam intrinsecam & qualitatem cultus divini, ita ut vi Juris Regii essentiam cultus & capita Religionis pro arbitrio constituere, abrogare aut immutare possit. Quamquam enim Lex Naturæ homini corrupto intimet generaliter cultum, Amorem & honorem Dei, specialem tamen modum colendi non manifestat, qui sufficiens sit ad tranquillandam conscientiam; cum potius rigor ejusdem, omnes animæ vires obligans, hominem convincat infinitarum offensus, Dei minetur vindictam, & cum nulla spes reconciliationis affulgeat, in abyssum summæ desperationis præcipitet. Conf. Rob. Scharrock de Officiis secundum Jus Naturæ, Cap. 16. de Numinis placatione.

§. XLIV.

SUA AGANT CONFORMITER JURI DIVINO REVELATO.] Hactenus paulisper extra Ecclesiam vagati fuimus, non ideo tamen extra oleas. Breviter perstravimus Jura Statuum secularium circa Religionem secundum ductum luminis Naturæ. Nunc demum prælucente sole Verbi divini, officia totius Hierarchiæ, intra pomeria Ecclesiæ, ad normam perfectam & sufficientissimam Voluntatis divinæ revelatæ exigenda veniunt. Per Christianismi enim susceptionem & unionem cum Ecclesiâ non amittunt Status jus suum, nec Evangelium abolet Politias, unusquisque in eâ vocatione, in quâ vocatus fuit, in eâ maneat. 1. Cor. VII, 20. sed potius specialiori gradu eminentiæ augetur & perficitur. Sicut enim postquam forma accidentalis, inquit B. Hülsem. Brev. cap. XX. n. VII. §. 1. Sive vera Religio Christi accessit ad formam essentialem Reipl. nno tantum exercitium potestatis Ecclesiasticæ facilius est redditum &

(N)  
Principium  
regulans Po-  
testatis Ec-  
clesiæ super-  
naturale.

G

expe-



expeditius, citra pericula & impedimenta externa: Ita etiam potestas civilis aliqua parte illius formæ accidentalis auctior facta est. Statui Oeconomico & civili merè subditorum hoc accessit quasi beneficii loco per acceptationem Christianæ religionis, ut citra privationem potestatis Legislativæ & coercitivæ in Magistratu idololatræ, cumulativè illis Jurisdictione quasi extraordinaria daretur judicandi & decidendi, cum potestate Cathedra, 1. Cor. VI, 4. nempe secundum scopum argumenti, de quo illic agitur, (ut supra tetigimus;) Ita non est dubium, ad jus & habitum legislativum ac coercitivum alioquin existentem in Magistratu, accessisse idoneitatem quandam judicandi de objectis ad Ecclesiæ constitutionem & conservationem externam pertinentibus, per receptionem in communionem sanctorum. Hucusque allegatus Autor. Quæ accuratè tenenda & discernenda sunt. Statui enim seculari, quatenus tali, nulla inest formaliter sic dicta potestas Ecclesiastica, sed tantum objectivè & improprie dicta, vi cujus circa Ecclesiã & Religionem quidem occupata est, quatenus ejus administratio temporalia attingit ratione loci, ædificii, reddituum, publicorum conventuum, &c. ne hinc jura Majestatis lædantur, vel salus & pax politica turbetur: Cæterum in Ecclesiã ipsã nihil agere vel dirigere potest, formaliter concurrente ad actum regiminis Ecclesiastici, ob defectum habilitatis. In quolibet actu præsupponendi sunt termini habiles. Quis enim hæreticus vel ethnicus Magistratus in synodo orthodoxe judicium ferre poterit de controversiis fidei, vel inspectionem sufficientem gerere supra pastores, vel reformationem instituire, vel disciplinam ecclesiasticam administrare? At per salutarem conversionem Magistratus, in concreto sumti, ad fidem orthodoxam, hic acquirit idoneitatem persona antea inhabilis, ad comparticipationem de potestate Ecclesiasticã, genericè & formaliter sic dictã. Nam in Christo, ut capite coagmentatur totum corpus per omnem commissuram subministrationis, juxta actum in mensurã uniuscujusque partes, Eph. IV, 16. Et hinc demum Magistratui ex unione cum Ecclesiã competit potestas formaliter Ecclesiastica, (sed non spiritualis) circa ordinem externum pastorum & auditorum, quatenus facit tertiam partem Hierarchiæ Christianæ, idque jure divino, citra Canonicum, vel jus publicum, & ex contractu quasitam.

§. XLV.



## §. XLV.

Id tamen omne fit citra confusionem potestatis laicæ seu civilis cum Ecclesiasticâ, nec non sine omni dependentiâ principiorum agendi, & potestatum. Nam ut ut duo formæ accidentales, sese invicem quoad faciliorem & meliorem operationem perfectiores & adjuvantes, sive duo principia sibi invicem accidentaliter in ordine ad communem effectum subordinata, in eodem subjecto concurrant, concursus tamen iste nequaquam confundit formas, aut infert essentialem subordinationem & dependentiam principiorum agendi, sed unum quodque hinc agit, quod suum est, ita, ut ubi ad commune apotelesma ordinentur, sibi invicem mutuas præstent operas, & quod uni deest, alterum suppeditet. Ita Magistratus Christianus per susceptionem Christianismi & veræ Religionis non solum idoneitatem acquirat ad reformationem & conservationem Veri cultus, sed & participat de potestate Ecclesiasticâ constituendi ritus adia phoros, & excommunicandi peccatores incorrigibiles, ita tamen, ut ipse solus ratione potestatis in locomotivam excommunicatum ab Ecclesia, & nihilominus malitiosè refractarium excludere possit à conventibus Christianorum & mensâ. Exclusionis hujus coactivæ principium agendi residet penes potestatem supereminentem, secundum quam, quicquid Princeps agat, qui summum imperium solus habet, id absolute, pro imperio, ἀρχιτεκτονικῶς & αυτοκρατορικῶς agit, sine cooperatione alterius, obligationem induentis. Priorum autem actuum principium residet penes Ecclesiam, cui omnis potestas ad sui conservationem necessaria, primario & quoad possessionem juris competit, exercitium autem ejus & secundario tribus statibus pro ratâ parte; ideoque nulli plenum, & exclusivum cooperationis aliorum statuum. Unde *Magistratus Christianus*, secundum B. Hulssem. Brev. cap. XX. n. IX §. 1. non habet potestatem νομοθετικὴν, sive legislativam, quam *Pareus Architectonicam* vocat, æqualem in utroque foro spirituali & civili. Neque eam satis vindicat Episcopus Tom. II. Oper. part. 2. In Apol. Conf. Rem. p. 278. limitando ad subalternatam sub Christo, (vel ut Utenbogardus, sub Verbo Dei) & ad regimen tantum exter-





num. Dependētia enim non variat naturam, sed tantum gradum. Manet nihilominus subalternata potestas Architectonica, reverā talis, adeo, ut licet Magistratui non liceat quidvis in religione statuere pro arbitrio, sed ex præscripto generali verbi divini, liceret tamen excluso consensu & suffragio reliquorum statuum leges ecclesiasticas, circa ritus aliās inusitatos, & propter novitatem cum hæsitante plebis conscientia conjunctos, figere & refigere, ampliare, immutare, officia Ecclesiastica distribuere, quæ etiam Arminianorum est sententia, sed absurdissima. Hoc enim nihil aliud est, quàm novum Papam politicum constituere. Conf. Trigl. diff. cit. cap. 7. 8. Sane si significationem propriam potestatis Architectonicæ in foro Politico receptam & huc translata attentius examinemus cum B. Hulsemanno cap. XX. Brev. n. IX. poterit ex sententia Arminianorum aliorumque Architectonicorum Magistratus pastoribus leges præscribere in prædicatione Evangelii & administratione sacramentorum, imò si placuerit, officia ipsa pastorum obire. Quæ absurda, quis est, qui non repudiet? Exulet ergo ab Ecclesia omnis potestas Architectonica: Apostolus quidem dicit 1. Cor. III, 10. *se instar sapientis Architecti fundamentum posuisse*: Verum aliud est structura, aliud potestas architectonica: Illa operationem & ministerium; hæc obligationem & imperium denotat. Magistratus non est Dominus, sed nutritivus Ecclesiæ. Qui omnem potestatem Magistratus Ecclesiasticam tantum ex Jure Majestatis & Dominio eminenti deducunt, adeoque in actibus ecclesiasticis, formaliter talibus, pro imperio agere statuunt, parum memores sunt dicti Apostolici ad Gal. III, 28. *Non est servus, neque liber: omnes unus estis in Christo Jesu*. Nam ut in simili negotio B. Dannhauerus distinguit *inter actus ministrorum Ecclesiæ, & actus ministeriales formaliter, seu virtute proprii officii ecclesiastici competentes*, Theol. Consc. p. 888. Ita etiam hinc advertenda est *differentia inter potestatem ecclesiasticam Magistratus Christiani, habentis simul potestatem Architectonicam in civilibus, & inter potestatem Ecclesiasticam à Magistratu Christiano architectonicè exercitam*. Ibi tantum subjectum specificatur, hinc principium, ratio & forma agendi denotatur. Ita nempe



nempe Diis terrestribus Jus Episcopale est asserendum, ne jus Architectonicum soli supremo Hierarchæ & Archiepiscopo, Christo Jesu proprium, lædatur. Floreat sub regimine Monarchico & Architectonico Respublica: Ecclesia, quæ Aristocraticè in his terris ab hominibus gubernari gaudet, illud renuit. Distinctum est utriusque regnum, distinctum regimen, distincta jura & officia. Utraque, & Respublica, & Ecclesia Christi, absque alterâ subsistere potest, utraque alteram adjuvare, neutra in alteram transmutari. Hæc breviter prælibanda fuere circa potestatem Ecclesiasticam statuum secularium in genere, ad quorum officia specialia & primò quidem incommunicabilia, nunc descendimus.

§. XLVI.

MODO IN ACTIBUS INCOMMUNICABILIBUS.)

In specie igitur I) Oeconomus seu paterfamilias, præter officia Christianis communia, familiam suam manuducere debet ad veram Religionem, & de dogmatibus ad salutem creditu necessariis instituire, coercere malitiosos, arcere falsas & heterodoxas opiniones: Potest & pro lubitu certum ordinem determinare exercitiis Pietatis ratione dierum & horarum vel loci, instituire dies pœnitentiales, salva tamen libertate Christianâ. Vice versa tota familia & honorem & obedientiam ipsi præstare debet: Quæ omnia definita reperies à Paulo cap. VI. ad Ephes. Conf. si placet, Dannh Lac catech. part. III. p. 337. de officio parentum, Dominorum, liberorum & servorum. Hæc cum adeo sub controversiam non cadant, ideo mittimus.

(O) Potest. Ecclesiæ Actus incommunicabiles.

§. XLVII.

Succedit II.) Status politicus seu Magistratus. Hujus obligationem ad curam Religionis, à lege naturæ profectam, paulo ante lustravimus, & simul observavimus, ipsum, ut infidelem & alienum à professione veræ Religionis, ad actus formaliter ecclesiasticos producendos, planè ineptum esse, non tam ob defectum juris, quam habilitatis in concreto consideratæ, & notitiæ. Nam cum plures qualitates ad actum aliquem suscipiendum à lege requiruntur, tunc deficiente unâ cessat tota operatio. Per unionem autem cum Ecclesiâ, & hinc acquisitam,





notitiam voluntatis Divinæ revelatæ, nanciscitur & idoneitatem seu habilitatem completè exercendi Juris Episcopalis, & comparticipat de potestate Ecclesiæ, unde officia ejus communicabilia cum reliquis Statibus fluunt. Ex Jure autem Episcopali, sub titulo potestatis supereminentis debito, promanant officia incommunicabilia, ratione ipsius exercitii sic dicta, quæ nunc consideranda sequenti positione comprehendimus: *Magistratui Christiano competit ratione officii Cura externa, non solum Religionis defensiva, sed etiam vera religionis conservativa & propagativa, de pravitate restaurativa, scholarum erectiva, earumque & ministerii nutritia, doctrina, vita & officiorum ecclesiasticorum inquisitiva, conciliorum convocatrix, Bonorum Ecclesiasticorum administratrix, & personarum ecclesiasticarum judicatrix.* Hoc est illud osculum, quod Reges & Judices Terræ debent Regi Sioneo. Osculum autem non tantum amoris, sed & timoris & obsequii, ut accuratissimè, more solito, diduxit Incomparabile Ecclesiæ nostræ lumen & fulcrum, DN. D. Mart. Geierus in prælect. publ. ad Ps II, 12. p. 42. 43. Dixi 1) Magistratui. Huic nempe suprema debetur *ἡ Οδοδεία (die Oberrundte)* Is inspector est inspectorum, vigilum circuitor, explorator militiæ sacrae, ac operum exactor. Ideo Principes dicuntur 1) Pastores Es. XLIV, 28. Jer. XLIX, 19. Ergo subditos ad pascua salutaris doctrinæ ducant, & pasci faciant. 2) Patres, 1. Sam. XII, 15. Ergo de subditorum institutione & honestâ vitâ sint solliciti. 3) Nutritii & Curatores, Es. XLIX, 23. Ergo de sustentatione ministeriorum & administratione Bonorum Ecclesiasticorum sint solliciti. 4) Clypei seu scuta terræ, Ps. 47, 10. Ergo defendant Ecclesiam à persecutorum violentiâ. 5) Porta seculi, ut introeat Rex gloriæ (Ps. xxiv, 7, 9.) per prædicationem Evangelii, annotante jam allegato summè Rev. Dn. D. Geiero in Ps. 24. p. 402, 403. Quem locum tamen non de solâ paritione passivâ Principum, ut doctrina Evangelii introducatur per pastores, neque de solâ executione ejus, quod pastores decreverint, sed & cooperatione quoque positivâ ad introductionem, constitutionem & conservationem cultus divini, accipiendum esse, patet ex parallelis, Ps. CXIIX, 19. 20. Col. IV, 3. Apoc. III, 7. 8.



7.8. deducente Hülsem. cap. XX. Brev. n. VIII, §. 1. *Et ita breviter sub omine & officio Magistratus omnem curam Religionis, in thesi propositam, contineri videmus: Cujus gratia, pro Regibus & omnibus in eminentia constitutis deprecationes fieri jubet Paulus I. Tim. II, 1, 2. Dico 2) Christiano, ut innumam ejus habilitatem ad suscipiendas omnes hasce expeditiones Sacras, quæ utique præsupponunt oculatam atque solidam religionis cognitionem. Dico 3) Ratione officii, ut ostendam, Jus hoc Episcopale formaliter & radicaliter inesse Potestati seculari. Ideo notanter Regibus in administratione Regni occupatis tradita est lex, ejusque custodia commissa Deut. XVII, 18. *Postquam federit Rex in folio regni sui. (Ergo non ut persona privata, sed publica) describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine. (Ergo non ablegatur ad verbum non scriptum) accipiens exemplaria sacerdotibus Levitici tribus (qui ideo ante expeditionem aliquam in consilium adhibendi) & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vite sue, ut discat timere Dominum Deum suum, (Ergo & cura primæ tabulæ, ad quam quoque pertinent Ceremoniæ, demandata fuit) & custodire verba & ceremonias) quæ cultus sunt publicus totius Ecclesiæ, sub quibus etiam comprehenduntur officia sacerdotum) quæ in lege præcepta sunt. Simili ratione Regi Joas in solenni inauguratione liber testimonii à Jojada Pontifice datur. 2. Reg. XI, 12. Atque hæc etiam mens fuit priorum principum V. T. Moſis, Josuæ, Davidis, Salomonis, Aſæ, Josaphati, Josiæ, Ezechiæ aliorumque à Gerardo LL. CC. de Magistratu Politico, n. 171. Hülsem. Brev. cap. XIX, n. XVIII. Dannh. Christeid. Act. 1. theatr. 1. p. 63. longà seriè enumeratorum, quibus curam cultus divini, non sanè defensivam tantum, sed & directivam, instaurativam & conservativam suscipere, solenne fuit, non expectantibus præscriptum & mandatum Cleri sed Dei.**

§. XLVIII,

Horum normam secuti sunt Impp. & Principes Christiani N. T. quàm primùm Purpura Regia sanguine quoque Christi tincta fuit, factò initio, à Constantino Magno, qui post susceptionem Christianismi non solum Christianis de Libertate Religio-



ligionis cavet, sed & edicto publico Gentilismum proscripsit, Christianos exules & ad metalla damnatos revocavit, dissidia Episcoporum diremit, Concilium Nicœnum propter Arianam hæresin convocavit, cui ipse in personâ præfuit, & damnatâ Arii doctrinâ Patrum decreta ac canones Imperiali autoritate confirmavit, addito interdicto, ne quis publicè aut privatim somnia Ariana sequeretur, de quibus Hotting. Hist. Eccles. secul. IV. sect. 1. Aph. 1. 11. p. 159. Microëlius lib. 2. synt. Hist. Eccles. sect. 2. q. 3. p. 197. Extat ejus epistola apud Eusebium l. 3. de ipsius vita, p. 891. quæ pium ardorem promovendæ Religionis abundè testatur, ubi inter alia: *Putavi mihi, inquit, ante omnia in id enitendum esse, ut in Ecclesiâ fides una, felicissimi populi sincera & charitas, & Religio erga Autorem omnium, Deum, nunquam discrepans observetur.* Atque huc allegare possem facta similia Theodosii, Valentiniani, Gratiani, Honorii, Marciani, Justiniani, Caroli M. Augustorum Sacratissimorum, si annales sacros potius, quam disputationem Academicam scribere, propositum foret. Obfignamus hunc locum celebri Socratis testimoniæ, quod extat in præf. l. 5. hist. *Ex illo tempore, quo reges Christiani esse cœperunt, Ecclesia negotia ex illorum nutu pendere visa sunt; atque adeo maxima concilia de eorundem sententiâ & convocata fuerunt, & adhuc convocantur.* Et quanquam praxis Ecclesiæ, tot licet seculis adulta, recti & obliqui index infallibilis esse nequeat, utpote de cujus ipsius sinceritate quæstio est; Temerarium tamen foret dicere, Divos Imp. in Ecclesiam meritis illustres, omnes fuisse ἀλλοτριό-επικόπησ, quod asserit insolenter Hieron. Cevallos in spec. aur. p. 897. *Licet in principio nascentis Ecclesiæ Imperatores hæreticos & catholicos cognovisse legamus, in Titulis de S. Trinitate, & fide catholici- cã de Episcopis; illud contigit de facto, & per violentiam, & tyrannidem, cui tum Ecclesia resistere non poterat, &c.* Quam buccinam etiam inflat Christianus Fidelis, larvatus in Crisi, Anti-Cris. p. 37. productus à Dannh. Theol. Consc. p. 908.

§. XLIX.

Extorquebat nempe hæc dicteria Ratio Status Curia Romanæ, cui non tantum primatus in Ecclesiâ, sed & super Ecclesiam, inter Articulos fidei reponitur. Conf. Bell. lib. 2. de Ro. Pont.



Pont. c. 12. 13. 14. Becanus Tom. II. Oper. tom. 2. opusc. 8. Tom. III. opusc. 6. Tom. V. Opusc. V. de Republ. Eccl. contra M. A. de Dominis. Sed argumenta illa, quibus supremum in Ecclesia dominatum, fulcire volunt, tam imbellia sunt, ut mirum sit invaluisse opinionem, nisi arrogantiam primum & malis artibus, non ratione, aut pietate defensam constet. Conf. Nepotismus Romanus Lib. I. cap. 1. & 9. Matthiæ Flaccii historia de Primatu Papæ M. A. de Dominis l. 4. de R. Eccl. per totum Dorothei Asciani Tr. de Nervis Rerum gerendarum Rom. Eccl. Nerv. I. Præsumptionis Papalis, à §. XV. usque ad finem, ubi prolixè ostenditur, quibus artibus Romana Ecclesia ad tantum fastigium ascenderit. Ab initio autem non tam jure divino, quam humano quærebatur ille Primatus, probante Illyrico l. c. & Gerh. C. C. lib. II. art. III. cap. V. p. 503. Hinc inter Episcopum Constantinopolitanum & Romanum magnæ æmulationes & concertationes de prædriâ alebantur: Et cum hanc sibi Ecclesia Constantinopolitana per vim vindicare conata esset, imperio temporali suffulta, Gregorius M. Romanus, Johanni Constantinopolitano se hoc nomine opposuit, & quidem ita acriter, ut ex fastu illius collegerit, propinqua jam esse Anti-Christi tempora l. 4. Epist. 34. Ita tamen dignitatem hanc Episcopo Constantinopolitano negavit, ut suas subinde rationes pro Majestate Sedis Romanæ inferuerit, simulans interim summam humilitatem, in cujus speciem primus *servus servorum* appellari voluit. Quo non obstante, Bullingero libro de orig. Err. in negot. Euchar. *is videtur, qui Romanam Tyrannidem aut cepit, aut sanè, ut à Bonifacio ejus nominis III. auspicaretur, occasio fuit.* Hic enim tandem præ Constantinopolitano laureolam deportavit, & quidem ab Imperatore Phocâ, eodem tempore, quo in oriente Muhammed emerfit. Conf. Hotting. Hist. Eccl. part. I. p. 306. 326. 355. Quo posteriore loco totum intervallum Hierarchiæ Romanæ tribus distinguitur ætatibus, Adolescentiâ, ætate virili & senectute. Aliter autem eandem à primâ origine consideratam in quinque ætates vel periodos commodè distribuit Balth. Meisn. part. III. Phil. Sobr. sect. 2. quæst. 3.





## §. L.

Interim nullum seculum præterfluxit, quod non habuerit vindices Veritatis, qui huic fastui & præsumptioni Papali viriliter sese opposuerunt. Huc facit totus Catalogus Testium Veritatis; Centuriatores Magdeburgenses per singulas centurias, Hottingeri & Micrælii Historia Ecclesiastica per singula secula magnum numerum tam Imperatorum, Regum & Principum, quam doctorum quarumcunque Ecclesiarum, primatum Papæ impugnantium, producunt. Quam acriter Gallicana Ecclesia, nec non Veneta libertates suas contra insultus Pontificum defenderint, ex scriptis elencticis, à Goldasto tribus tomis in folio sub Titulo Monarchiæ S. Romani imperii, comprehensis, abunde est perspicere.

## §. LI.

Tandem potestas hæc Magistratus hyperepiscopica diu multumque defatigata & suppressa iterum libertati & justo possessori, Magistratui, restituta fuit, per illustre Pacis Passaviensis beneficium, quo non Jus indebitum aut novum collatum, sed obex & sufflumen antiqui juris & debiti remotum est, ut Status Augustanæ confessionis, Romano imperio immediatè subiecti, id quod jure divino possunt, etiam citra remoram Papiſtarum possint, Conferatur Transactio Passaviensis de Anno 1552. nec non instrumenti Pacis Osnabrugo Monasteriensis de Anno 1648. Art. V. de Statu Religionis, & Pacificatio Religiosa Augustana de Anno. 1555. Deque hæc posteriore Tr. DN. D. Calovii.

## §. LII.

Dixi 4) *Cura externa*: Etenim quæ Essentiam cultus divini, nec non administrationem mediorum salutis, proximè producentium effectus spirituales, concernunt, subjacent vel Regimini Christi, Regis Sionei, Architectonico & principali, vel Pastorum ministeriali: Quæ autem Politiam seu Jurisdictionem, ut vocant, externam concernunt, de his partes certas toti Ecclesiæ, certas etiam, quas nos sub officiis incommunicabilibus comprehendimus, Magistratui soli vendicamus. Infeliciter ergo & incongruè in argumentum trahunt Pontificii, & ipse  
Pon.



Pontifex Paulus III. in literis superbissimis ad Carolum V. exaratis, quas integras apud Wolffium Tom. 2. Lect. mem. p. 539. videre est, factum Ufa, arcæ ruinam minanti manum admoventis, ideoque morte puniti, 2. Sam. VI, 6. 1. Par. XIII, 10. Ufa, qui adolendo thymiama, leprâ est percussus, 2. Reg. XV, 5. 2. Par. XXVI, 18. Corah, Dathan & Abiram, propter seditionem adversus Mosen & Aaronem, hiatu Terræ absorptorum, Num. XVI, 1. quorum prævaricationi comparat Paulus III, consilium Imperatoris de concilio generali indicendo. Nam Sacrorum curam suscipere, sacerdotes aut ministros in officio continere, collapsum cultum restituere, sal insipidum rejicere, hoc non est adolere thymiama, nec arcam tangere, nec seditionem movere contra ecclesiam. Si exemplis agere placet, cur non adversarii Davidem in scenam producant, officia Levitarum per certos ordines distribuentem? 1. Paral. XXIII, 4. & seq. arcam Domini ex ædibus Obededom reducentem? 2. Sam. VI, 12. 1. Paral. XIII, 2. Cur non Salomonem, ab officio removemem Abjatharem, neque ideò fori præscriptione se defendentem, inque illius locum substituentem Sadocum 1. Reg. II, 27. Cur non Asam, Josaphatum, Ezechiam, Josiam, subvertentes aras, lucos & excelsa, ejicientes Sacerdotes Baaliticos, leges piissimas de verò Dei cultu ferentes, paschatos celebrationem mandantes &c? Hæc sc. exempla suâ luce parum profutura erant tenebris Ægyptiacis.

§. LIII.

Ad curam autem istam externam, non pertinet tantum hereticos pellere, errorum magistros arcere, libros (blasphemos, scandalosos) proscribere, portas urbis & tabernas mercatorias interea, dum divina peraguntur, claudere, concursationes otiosorum vetare, facta recta templi urgere, consiliis interesse, presidio militari tumultus arcere, Ecclesiæ præcepta & definitiones executioni mandare, quæ sola iniquè Magistratui permittit Christianus Fidelis in Crisi anticrisi p. 34. ap. Dannh. Th. Consc. p. 905. sed etiam veram religionem introducere, conservare & propagare, & quidem ex obligatione officii secularis, 1) Ministros officii sui admonere, præscribere locum & tempus celebrandi cultum publicum, sicuti Ezechias

H 2

&






& Josias 2. Par, XXIX. usque ad XXXIV. Subditos ad colendum verum Deum manuducere, sicuti Nabuchodonosor Rex Babylonis publico edicto verum Deum Israël colendi præcepit, & blasphemias contra Deum sub pœnâ mortis prohibuit, Dan. III, 95, 96. Illustre hujus rei exemplum præbent Augustanæ Confessionis addicti Electores, Principes, & S. Rom. Imperii in Germaniâ ordines in præfatione Libri Concordiæ, ubi non multum ab initio inter alia rationem hujus saluberrimi instituti sic proponunt: *Quare nostri officii, quod divinitus nobis injunctum esse novimus, memores, in eam curam diligenter nobis incumbendum existimamus, ut in provinciis & ditionibus nostris, falsis dogmatibus, quæ ibi sparsa sunt, & subinde magis magisque sese quasi in consuetudinem & familiaritatem hominum insinuant, occurratur. Et imperio nostro subjecti in recta pietatis viâ, & agnitâ, & hætenus constanter retentâ defensaque, veritate doctrinæ cœlestis perseverent, nec ab eâ se abduci partiantur. &c.* His addantur, quæ non multum à fine præfatur. §. *His accedit & illud.* 2) Scholas erigere & conservare, quæ seminaria sunt Ecclesiæ & Reipl. Ideoque & ministris Scholarum atque Ecclesiæ de honestâ sustentatione prospicere. *Quis enim plantat vineam, & de fructu ejus non edit, 1. Cor. IX, 7.*

## §. LIV.

3) Inquirere in doctrinam, disciplinam, vitam & mores doctorum & auditorum, quo dissensiones, scandala & schismata omnibus modis vitentur, secundum monitum Pauli, 1. Cor. I, 10. seq. & exemplum Samuelis (qui singulis annis Bethel, Gilgal & Mizpath circumivit, 1. Sam. VII, 16.) atque Josaphati, 2. Paral. XVII, 7. seqq. Hoc jus visitandi hodie delegatum est Superintendentibus. Conf. Reinking. de Regim. Eccl. clas. 1. cap. 7. & Constitutiones Electorales Saxonicae von der visitation der Kirchen und Superintendenz. De corrigendis autem & tollendis iis, quæ in visitationibus deprehenduntur mala, vitiosa, nec non subortis controversiis, deliberatio institui solet in synodis & conciliis; Hinc requirente necessitate 4) Magistratui competit synodorum indictio & convocatio, exemplo Davidis, 1. Paral. XIII, 1. XXIII, 1. Salomonis 1. Reg. II, 1. Ezechia. 2. Paral. XXIX, 4, Josia, 2. Reg. XXIII, 1. Quid hinc sub impe-



imperio heterodoxi Magistratus, possint subditi Christiani de-  
 finivit Hülsem. Brev. cap. XVIII, n. VI. Pro asserendo hoc ju-  
 re non opus est per longa exempla veteris Ecclesiae N. T. ire,  
 quoniam amplissimus campus hic sese aperiat: Magis enim ar-  
 gumentandi palæstram, quam historiae prolixitatem respicimus.  
 Consul. Brochmand. syst. Theol. Tom. 2. cap. vi. sect. 3. Aegid.  
 Hunn. Tom. II. Oper. fol. 265. Hülsem. Man A. C. disp. XIX.  
 de causis recusati à catholicis concilii Tridentini, ut & H. Gro-  
 tius in Pietate ordinum p. 48. & seqq. & Reinking. de Regim.  
 Eccl. clas. 1. cap. 4. n. 4. seq. Rectè igitur Status & Proceres five R.  
 Imperii, cum viderent turbatum Ecclesiae Statum concilio indi-  
 gere, non Pontificem, sed Imperatorem ad eundem esse decre-  
 verunt, R. A. zu Augspurg de Anno 1525. §. Wir haben auch  
 zu Wiederbringung / *ibi*: die R. R. Majestät unterthänig-  
 sten Fleißes bittlich ersuchet / daß ihre Käyserliche Maje-  
 stät / angesehen der Zerspaltungen und Zwietracht / unsers  
 H. Christl. Glaubens / gnädiglich verfügen wolle / damit  
 eingemein frey Concilium auff's allerförderlichst angeleg-  
 ner Majestät Teutscher Nation ausgeschrieben werde.  
 Protestationes Statuum contra Pontificis Legatum, Ver-  
 gerium, in causà hujus Concilii, vide apud Sleidanum,  
 l. 9. p. 256. & 263. Summus vero Princeps non tantum,  
 est Convocator Conciliorum, sed & Præses Politicus, uti  
 Constantinus Niceni, Theodosius Senior Constantinopolitani,  
 Junior Ephesini, & Martianus Chalcedonensis; Non excluso  
 tamen jure suffragii decisivo, ipsi cum reliquis statibus commu-  
 ne, de quo in seqq. Unde iterum Imperator hoc jus suum,  
 agnoscit R. A. zu Augspurg de An. 1551. §. Wir sind auch des  
 gnädigen / *ibid*. Was uns als Advocaten der H. Kirchen  
 und Beschirmern der Concilien von wegen unsers obliegenden  
 und Käyserlichen Ambts zu thun geziemet. R. A. zu  
 Augspurg de Anno 1544. §. derhalben / *ibid*. So sind  
 wir / in Krafft unsers obliegenden Ambts / gnädigst ge-  
 neigt / auff dienliche Wege und Mittel zu bedencken / die  
 Sachen zu einem General-Concilio zu befördern / demselben  
 auch eigener Person beyzuwohnen. Denique decreta Con-  
 cili





cilii imperator ex officio confirmat, publicat, & subditos tam laicos, quam clericos ad observantiam eorum obligat, etiam sub comminatione & poena transgressoribus infligendâ, probante Marfil. Patav. in defens. pac. c. 25. & Grotio. l. c. præprijis Hülsem. Brev. cap. XIIX. n. XIX. Repetatur Const. Magn. exemplum allatum §. XLIX.

## §. LV.

5) Ad Magistratum pertinet collapsi & depravati divini cultus Reformatio. Ante omnia autem hîc distinguimus cum Reinkingio l. c. cap. 6. n. 9. *inter ipsam reformationis curam, ac directionem externam.* Illam toti Ecclesiæ, hanc Principi tribuimus. Eodem modo Dannh. Hod. Pap. ph. II. p. 697. distinguit inter sollicitudinem Ecclesiarum, quæ Paulo incumberebat, & gubernationem. Hîc autem tria attendenda sunt monumenta: *Necessitas, Jus, norma & methodus.* Necessitatem ostendit toties ore Domini imperatum renovationis officium. Jam quod singulis incumbit, multò magis toto Cætui. Prostant exempla Reformatorem Heroum Assæ, Josaphati, Jehu, Hiskia, Josiæ, Nehemiæ. Magnum ergo est postulatum, Romanam illam visibilem sic adharere firmatæ Petræ, ut timeret eam quassare Sathan. Apocalypsis Johannæa Babyloniam Nympham vidit sedere non in petrâ immobili, sed in aquâ fluxâ Apoc. XVII, 1. *Jus*, non tantum Territoriale, sed & divinum, & à Cælo datum. Hoc sese non extendit ad quamcunque religionem, quam Magistratus profitetur, sed tantum ad salvificam. *Si quis vobis predicaverit Evangelium præter id, quod accepistis, anathema esto.* Gal. I, 8. 9. Illud tantum ratum facit actum jure humano, & in foro soli, non autem rectum in foro poli, si religio introducenda non sit vera religio. *Norma* non est praxis Ecclesiæ, nisi in Scripturâ approbata. Ideoque sola scriptura, Norma credendorum est etiam norma agendorum. *Methodus* non est inquisitio Hispanica, aut furor Puritanus: Sed Evangelio, transactionibus & Legibus fundamentalibus conformis. *Arma hujus militiæ non sunt carnalia, sed potentia Dei ad destruendas cogitationes.* 2 Cor X, 4. non dicitur ad destruenda corpora. Fides in animâ non accenditur per flammam carnificis, sed per auditum



*ditum Verbi.* Rom. X, 17. Voluntas cogi non potest, sed tantum persuaderi. Unde Lutherus Tom. II. Jen. fol. 180. *Liberum, quiddam est credere, imò quiddam divinum in spiritu; externa igitur vi cogi non potest, nec debet.* Omnibus Reformato-ribus ponderanda relinqvimus sequentia Lactantii verba lib. 4. Inst. cap. 20. *Non est opus vi & injuria, quia religio cogi non potest; verbis potius, quàm verberibus res agenda est, ut sit voluntas. Disstringant acie ingeniorum suorum. Si ratio eorum vera est, offeratur: parati sumus audire, si doceant &c.* Hic tamen præprimis ad regni leges fundamentales & capitulationes Principum respiciendum est, quæ si absolutam & liberam potestatem supremo Magistratui concedant, utiqve summis viribus eniti debet, ut una & vera Religio in suis provinciis obtineat, quantum fieri potest absque extremo periculo seditionis, evertendæ Reipl., & in hac Ecclesiæ. Illis tamen si restricta sit ad tolerantiam diversarum Religionum, vel pars summi imperii Primatibus Regni sit reservata, tunc, vi conscientiæ, nec exercendæ Religionis licentiam eripere, neque edictis, vel mediis etiam aliis licitis, multò minus violentis coërcere potest; Hoc si fiat, tunc populo vel senatui, habenti partem summi imperii, licet vim vi opponere, & Regi in partem non suam involanti resistere, quia eatenus imperium non habet. Conf. Dannh. Christeid. proth. phæn. 9. p. 85. Merè autem subditis gladium arripere, nefas esto, nisi de exceptione juris circa religionis exercitium ipsis cautum sit sub hac qualitate, ut liceat Principi fecus molienti, etiam armis resistere. Hülsem. Br. cap. XX. n. XI. Cæterum fide opus & patientiâ sanctorū. Apoc. XIII, 10. Totam hanc quæstionem: *In quibus casibus liceat resistere Magistratui*, accuratè defini- verunt Mart. Luth. in epist. ad Ecclesiastem quendam, Anno 1539. Theologi Wittenbergenses in Judicio de scripto Juris-consultorum super quæstione hac, quæ pro suâ quoque sententiâ statuminandâ, Phil. Pareus, Davidis filius, Tr. de Potest. Eccl. & civili p. 190. & seqq. inseruit.

## §. LVI.

Et huc etiam revocari solet coërcitio hæreticorum, manifestorum, obstinatorum, præprimis seducentium, qui distin-

gven-



guendi sunt ab occultis, seditiosis & blasphemis: De occultis, non convictis nihil potest conscienter statuere Magistratus. In Hereticos autem seditiosos, blasphemos, facinorosos incorrigibiles, præprimis seductores, pro magnitudine delicti, etiam pœnis corporalibus, non capitalibus & capitalibus animadvertere potest Magistratus, uti de Anabaptistis statutum est, R. 2. 30 Speyer de Anno 1529. §. Nach dem auch kûrglich. Deficientibus autem hisce circumstantiis, conditionibus & qualitatibus, hæreticus, quatenus talis, post unam & alteram admonitionem est quidem devitandus, Tit. III, 10. non tamen interficiendus. Ecclesia N. T. sine sanguine propagat Evangelium. Ef. II, 4. XI, 6, 7, 9. coll. cum Luc. IX, 54. Prolixè hanc quæstionem tractarunt, simulque objectionibus Adversariorum satis fecerunt Gerh. Loco de Magistr. Pol. n. 314. & seqq. C. C. lib. 1. Part. II. cap. XIX. Balth. Meisn. part. III. Phil. sobr. sect. II. qv. VI. Dannh. Hodom. Pap. phant. VI. p. 1380. 1397. Ej. Illice & obice Pacis Ecclesiarum sanctæ, & Gamaliele per totum. Affelm. syntag. P. I. f. 619. Reinking. I. III. de Regim. sec. & Eccl. class. I. cap. V. Chr. Weber de Jure Consist. cap. XXVII. sect. 1. 2. 9. 15.

§. LVII.

7) Magistratui ex officio, ratione curæ externæ, competit etiam cura Bonorum ecclesiasticorum & ærarii Ecclesiastici, ut rite administrantur & dispensentur. Pertinent enim bona Ecclesiastica ad sustentationem cultus publici, Doctorum in Ecclesiâ & Scholis, exulum, ægrotum, redemptionem captivorum, & reparationem ædium sacrarum. Hinc Rex Afa ea, quæ pater ipsius sanctificaverat, templo intulit 1. Reg. XV, 15. Ezechias sacerdotibus salaria constituens, in templo Gazophylacium ponere præcepit, 2. Paral. XXXI, 11, 12. Josias Helkiæ summo sacerdoti pecunias templi in ejus structuram prudenter convertendas commendavit. In Ecclesiâ N. T. qui primum Christianismum professi fuere Imperatores, simul Ecclesiasticorum reddituum dispensatores fideles constituerunt, Justinianus Nov. 3. c. 3. Idem videre est ex l. 22. C. de SS. Ecclef. I. jubemus, 14. cum Avth. seq. C. eodem tit. Licet ergo Bona ecclesiastica sub clausulâ utilitatis & potestatis simul statui Ecclesiastico possint, com-



committi tanquam curatoribus, ita ut re integrâ, i. e. prout  
 Dei & fundatorum voluntati, nec non Ecclesiæ necessitati con-  
 sentaneum est, Magistratus in hoc casu abstinere ab actuali admini-  
 stratione, annotante D. Georg. König. Cas. Consc. de Statu Pol. cas.  
 9. p. 750. Remanet tamen semper penes Magistratum suprema in-  
 spectio & cura super Curatores Ecclesiasticos, quos facilè abuti hâc  
 potestate, observavit M. A. de Dominis lib. ix. de R. E. cap. v. n. 27. &  
 seq. Quare canon. 26. Concil. Chalcedonensis constitutum fuit, ut  
 Episcopi in idoneos dispensatores istarum rerum administratione re-  
 jectâ, ipsimet ab ea abstinerent. Multò magis autem, si ut sæpius  
 fieri consuevit, redditus piis usibus destinati, in propriam utilitatem,  
 in epulas & comestationes, in vanas superstitiones, nugas & corrupte-  
 las Religionis aliosque hujus generis abusus convertantur. Tunc  
 enim Magistratus, vi muneris sui, ecclesiastica bona & fructus aliis pi-  
 is usibus applicat. Nam propter majus obsequium Dei, aut ma-  
 jorem Ecclesiæ utilitatem & necessitatem posse bona Ecclesiastica  
 quæcunque per legitimam Autoritatem ad quosvis pios usus trans-  
 ferri, etiam præter voluntatem fundatoris & ordinum, fatentur Jesui-  
 tæ, & ex illis Laymannus Justæ defensionis præmio §. 29. seq. & f.  
 41, 47. allegatus à Magnif. Dn. D. Scherzero in Coll. M. S. defin. Lo-  
 co xxvi. §. 15. qui exinde concludit, *potuisse ergo sine ullâ injustitiâ*  
*Pientissimum Augustum, Electorem Saxonie, cum Successoribus & reli-*  
*quis Principibus Evangelicis bona Ecclesiastica transferre ad verè pios*  
*usus, nempe sustentationem Ecclesiæ, ministrorum, erectionem piarum*  
*scholarum, erogationem stipendiorum &c.* Imò etiam in usus profa-  
 nos, si id sine furto & aliorum injuriâ, propter extremam indigenti-  
 am Reipubl. fiat, sicuti Vir Celeberrimus jam all. loco ex Phil-Me-  
 lanch. Consil. Tom. II. fol. 437. Luthero Tom. II. Altenb. f. 794.  
 Tom. VIII, f. 969. Tom. IX, f. 1480. Tom. VI, f. 1116. nec non Riveto in  
 animadversione ad Consult. Grotii Tom. III. Oper. f. 952. Hospinia-  
 no de Templis f. 425. Cranzio lib. vi. Saxon. c. 52. Caramuele à Lob-  
 kovitz, Occamo, Cajetano & Dillingensibus sufficientissimè probat.  
 Et hoc est, quod Dillingensibus etiam respondent Theologi Saxonici  
 in der Hauptvertheidigung cap. 12. Die Evangelische has-  
 ben so viel und bessere zu Sprüche zu den eingezogenen  
 geistl. Gütern / als die Catholische / weil Sie von ihren  
 I. Vors



Vorfahren gestiftet/ und von ihnen zur Ehre Gottes tausend mal besser/ als von den Papisten angewendet werden. Plura de Bon. Eccl. administratione videri possunt apud Carpov. lib. II. Jurispr. Consist. Tit. XIX. Reink l. 3. de R. S. & E. clas. 1. c. 3. ut & Grot. in Pietate Ordd.

## §. LVIII.

Tandem quoque 8) Jurisdictio super personas Ecclesiasticas in officio Magistratus continetur. *Idem nunc sunt in Ecclesia Clerici quod erant Levitæ in V. T.* inquit Bellarm. de Clericis, c. 28. prop. 5. subsumit, sacerdotes & Levitæ V. T. Magistratui seculari fuerunt subiecti. Ex. IV, 15. XXXII, 21. 1. Reg. II, 26. 2. Par. XIX, 15. E. etiam Magistratui subiecti sunt Clerici N. T. Ideò Christus ad Pilatum, Magistratum Ethnicum dicit: *Non haberes potestatem super me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Joh. XIX, 11. Potestas à cælo data, non est merè usurpativa & permissivè concessa: Quodsi enim rō datum, per permissum exponas in locis aliis Matth. XIII, 11. XIX, 11. Joh. III, 27. ridendum te expones omnibus. Neque enim erravit Pilatus, eam potestatem ad Christum applicando, uti excipit Bellarm. in resp. ad duos libros Venetos, p. 37. Christus enim disertè ait: *Non haberes potestatem super me.* His addo generale mandatum ad Roman. XIII, 1. *Omnis anima potestatibus supereminens subdita sit.* Non datur autem potestas supereminens, præter eam, quam habuit Magistratus. Aliàs Apostolus scopum non ferisset. Anima h. l. non potest significare hominem animale & carnalem, qui fidelibus opponitur, 1. Cor. II, 14. 15. Aliàs omnes Christiani fideles excipiendi forent à subjectione, quod Anabaptisticum. Conf. B. D. Wellerus & Balduinus in Comm. ad h. l. Neque animalis & carnalis homo æquipollet seculari: Dantur sanè etiam Monachi & Clerici carnales. Plura argumenta, cum hæc sufficiant, non addo. Damna, quæ exemptionem Cleri sequuntur in Republ. ostendit Arnif. l. I. de Republ. c. 2. p. 18. Qui etiam peculiarem tractatum de subjectione & exemptione Clericorum conscripsit. Cæterum pro qualitate causæ ecclesiasticæ, mixtæ, vel purè civilis Clerici etiam nanciscuntur vel forum Ecclesiasticum in Consistorio, vel civile in Cancellariis. Respectu enim temporalium etiam Jurisdictioni temporali subsunt: De quibus supra alleg. Autores.

## §. LIX.



## §. LIX.

Atque hæc sunt illa officia, comprehensa sub cura Magistratus externâ, & radicaliter fundatâ in potestate supereminente: Quorum intuitu etiam à Nostratibus præcipuum membrum Ecclesiæ, & caput in Ecclesia, sive materiale, non Ecclesiæ, seu formale, appellari solet, salvâ aliorum statuum Autoritate & dignitate. Aliam autem horum titulorum rationem, nempe qualitates spirituales, fidei, pietatis &c. dum supponunt Triglandus, Revius, Voëtius, Andabatarum more contra nos pugnant, dumque Nostrates falsò accusant fallaciæ accidentis, ipsi turpem fallaciam ignorationis Elenchi committunt. Habent hic, quod discant à Wendelino, qui hæc de re lib. I. Syst. maj. cap. 28. f. 1308. ita differit: *Quatenus caput pro eminenti & primario Ecclesia membro accipitur, cujus præ reliquis membris prærogativa est insignis, quoad aliquos gubernationis actus, Magistratus δικάνα λόγως potest caput Ecclesiæ, (1) quia est nutritivus Ecclesiæ, Es. XLIX, 19. (2.) Defensor, Ps. XLVII, v. ult. 3.) director ejus, quoad ordinem externum, Rom. XIII, 3, 4.*

## §. LX.

Peculiaria officia III.) Status Ministerialis, eaque interna, merè organica, spiritualia & divina, per media spiritualia & supernaturalia immediatè attingentia effectus spirituales Conversionis, Justificationis, renovationis, consideranda veniunt, idque quantum fieri potest brevissimè. In N. T. comprehenduntur sub ministerio Verbi, non literæ, sed spiritus vivificantis. 2. Cor. III, 6. Gal. III, 2. Spiritus non tantum ut Autoris, sed & ut doni per Evangelium dati & fide accepti. Ideò ministerium est, non separatum à Spiritu sancto, sed uno indiviso actu ad unum ἀποτέλεσμα, organicè concurrens. *Quis Paulus? Quis Apollo? nisi ministri, per quos credidistis.* 1. Cor. III, 5. & XV, 10. Ut vel hinc ejus dignitas, utilitas & necessitas appareat, de quibus Dannh. Hodol. ph. X. p. 977. Gerhard. de M. Eccl. n. 3. Lutherus Tom. 7. Jenens. f. 73, 74, 75. Confertur ordinariò hæc potestas publicâ membris Ecclesiæ idoneis, (i.e. ratione sexus, viris, non fœminis, 1. Cor. XIV, 33. ratione qualitatis, piis, doctis & exploratis; *Oportet Episcopum esse inculpabilem, tenacem sermonis fidelis & ad docendum utilis, potentem exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere,* Tit. I, 7, 9. nec non certo officio dedicatis, Act. VI, 3, 6.)



per vocationem, missionem seu electionem, (qui termini stylo Scripturæ æquipollunt, ostendente Gerardo, Loco de Min. Eccl. n. 51, 52.) sub quâ comprehenditur ordinatio, faciens ad capacitatem subjecti publicè declarandam, ejusque segregationem solennem à negociis seculi ad munus Ecclesiasticum, nec non commendationem apud Deum & coram Ecclesiâ; Ideoque non simpliciter necessaria, necessitate mediæ & finis; potuere enim sine ordinatione œconomiam Ecclesiasticam obire Paulus & Barnabas, Act. IX, 29; sed necessitate expediendi & boni ordinis. Conf. Aug. C. Art. XIV. Contra criminationes Pontificiorum; [Conf. Lutheri præfatio ad Art. Schmalcald.] & confusiones Anabaptistarum, Photinianorum & Socinianorum. Ipsa tamen Vocatio in ordinatâ Ecclesiâ simpliciter est necessaria. *Quomodo predicabunt, nisi mittantur*: Rom. X, 15. *ἀποστείλατε*, Act. XIII, 2.

## §. LXI.

Potestas autem, quæ per vocationem confertur Ministro, est potestas prædicandi Evangelii, remittendi & retinendi peccata, & administrandi sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apostolos: *Sicut* (non æqualitate autoritatis & potestatis, sed identitate originis & scopi) *misi me Pater, ita & ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Joh. XX, 23. Matth. XVI, 19. XIX, 18. *Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* Matth. XXII, 19. Hæc potestas ministrorum spiritualis, alio nomine communiter dicitur Theologis potestas Clavium, ex Matth. XVI, 19. quo nomine modò totam potestatem spiritualem, vel Episcoporum juxta Evangelium, ut fit A. C. art. abus. 7. modò partem ejus, nempe jurisdictionis interioris, indigitant; Potestas Jurisdictionis, quam vocant *κλειδική* in usu clavium consistit. Posterior tamen significatio, cum inclusivo sensu (quatenus etiâ continet Clavem scientiæ, Luc. XI, 52.) intelligenda veniat, non exclusivo, ideò cum priori optimè consistere potest. Hæc autem potestas cum originem suam trahat ex dicto Christi apud Matth. XVI, 19. inque eo præprimis Adversarii nidifcentur; Ideò occasione, & manuductione hujus dicti Eam ratione causarum externarum & internarum, exercitii & effectus, breviter explicabo, secutus inter alios præeuntem ducem, Magni Nominis Theologû, D. Se-  
bar



Sebastianum Schmidium, Profess. in Acad. Argentoratensi famigeratissimum, & Conventus Ecclesiastici Præsidem, qui in Fasciculo disp. Theologico-Philologicarum Disp. XII. mam totam & unicè hujus dicti enucleando & vindicando vero sensui consecravit.

## §. LXII.

Verba autem dicti, ita se habent: *Et dabo tibi Claves regni Cælorum. Et quicquid alligaveris in Terra, erit alligatum in Cælis: Et quicquid solveris in Terra, erit solutum in Cælis.* Copula *ET*, respicit ad præcedentem promissionem de ædificatione Ecclesiæ, in cujus gratiam dicit Salvator, *Dabo tibi claves R. C.* Loquitur de futuro; quando nempe ædificaturus erat Ecclesiam, daturus etiam erat Claves. Ecclesia autem in universo mundo demum post Ascensionem Christi erat ædificanda; ideoque etiam traditio hujus clavis promissæ facta est paulò ante Ascensionem, Joh. XX, 21, 22, 23. Collator ergo hujus Potestatis & causa efficiens fuit Christus *Ἰησοῦς Χριστός*. Subjectum recipiens innuitur per vocem *Tibi*, quæ respicitur ad Petrum. Petrus ergo in propria persona promissionem accepit: sed non ideò solus, vel pro sua propria persona rem promissam. Ille, qui respondet ad quæstionem Christi, is etiam accepit hanc potestatem collatam. Sed Petrus nomine omnium condiscipulorum, in quibus tum potissimum Ecclesia consistebat, respondit ad quæstionem Christi, non tantum pro sua propria persona, E. Petrus nomine omnium condiscipulorum, (quorum os fuit, non legatus vel vicarius, ut Bellarminus fingit l. 1. de P. R. c. 12.) non tantum pro sua propria persona, accepit collatam potestatem clavium. Major ex textu patet: Minor similiter. Nam omne redditivum respondet interrogativo in genere, casu & numero. Omnes autem interrogabantur, non autem singuli unà respondere poterant. Cantare unà possumus, loqui non idem. Ideò *Petrus* (forsan fervore præventus) *unus pro omnibus respondit, & sic in Petro omnibus hanc potestatem dedit*, inquit Anselmus in capite 16. Matth. Omnes autem professos esse Christum, inde patet, quia Christus universis interdixit confessionis pro palationem, v. 20. Deinde à posteriori concludimus: Quibus tradita est clavis Joh. XX, 23. illis etiam promissa. Sed etiam juxta Pontificios tradita est clavis Joh. XX. omnibus Apostolis. E. Apostoli autem hic repræsentabant totam Ecclesiam; nam excommunicatio,



catio, quæ pars est potestatis clavium, Matth. XIII, 17. attribuitur toti Ecclesiæ.

## LXIII.

Sequitur res promissa, nempe Claves regni Cœlorum. Distingvenda est nobis hîc ante omnia clavis significatio formalis à materiali. In formali significatione, clavis est instrumentum claudendi & referandi conclavia vel seras. Materialis significatio variat, juxta subjecta utentium. Si in Regem incidit, imperii character est: Si in œconomum, ministerii & servitii nota est. De materiali hîc quæstio est. Bellarm. l. 1. de P. R. c. XIII, dicit, *Catholicos omnes intelligere summam potestatem in omnem Ecclesiam, & principatum Ecclesiasticum non remittendi peccata, sed mandandi, prohibendi, puniendi.* Idque probat ex Es. XXI, 2 2. & Matth. XXIII, 4. Verum malè & sophisticè à genere ad speciem. Nos dicimus clavem intelligi non Regiam, quàm sibi soli Christus vindicat Apoc. III, 7. Sed œconomicam, administrandi media salutis. Talis enim clavis intelligitur h. l. seu potestas, (per metaphoram insinuata,) quæ proportionata est subjecto & mediis. Subjectum, cui commissa est potestas clavium, sunt Apostoli omnes ex æquo, totam Ecclesiam repræsentes, ut jam demonstratum fuit: Cum hâc autem potestate ministeriali plurimum non potest consistere monarchicus dominatus. Aliàs tot erunt Monarchæ, quot Apostoli. Media autem & claves, quibus regnum cœlorum aperitur, non sunt alia, quàm Verbum & Sacramenta. Joh. III, 5. & I. Joh. V, 8. *Tres sunt, qui testimonium dant in Terra; Spiritus, & Aqua & Sangvis.* Testificantur nempe divinam operationem in toto salutis negotio. *Sunt organa cœlitus excitata, per quæ Deus nobiscum agit, & suam in nobis operatur gratiam,* inquit B. Dorsch. in diss. super h. l. §. 20. Potestas ergo Clavium est potestas administrandi media salutis, quibus aperitur regnum Cœlorum: Illius potestatis actus sive exercitium est *solutio & ligatio*, quorum actuum mentio fit in dicto nostro. Et hic iterum fit saltus ex una metaphora in aliam, (modo scripturæ usitato) attamen confinem. Quid autem propriè per hos actus significetur, iterum ex qualitate subjecti, ministrorum, mediis sive clavium, verbi & sacramentorum, nec non objecti, Peccatorum, deducendum est. Objectum exprimitur neutraliter per vocem, *Quicquid.* Repetitur eadem dictio Matth. XIX, 18. ubi de peccato-



catoribus excommunicandis sermo est: poterit ergo simul objectum personale, peccatores, quam reale, seu peccatum, intelligi; Utrumque comprehendit locus parallelus Joh. XX, 23. *Quorumcumque remiseritis peccata &c.* Est enim hoc objectum conveniens ministris & mediis; optimè etiam secundum intentionem scripturæ, consentit cum actu, remissionis & retentionis, qui itidem exprimitur Joh. XX. & vice versâ actus cum objecto, mediis & subjecto. Ligatio enim & solutio, in quibus consistit usus clavium, non potest excedere ipsas claves. Claves autem R. C. sunt tantum verbum & sacramenta. Administratio ergo Verbi & Sacramentorum est unus usus clavium, qui hic dicitur solutio & ligatio. E. potestas utèdi claves non potest includere vel denotare potestatem judicalem, vel regalem, aliquid absolute mandandi & prohibendi, uti Bellarminus ineptit. Hic enim actus excedit vim subjecti & mediorum. *Quam clavem Dominus Petro dedit, Petri personæ & statui fuit proportionata*, inquit Dannh. Hodom. Pap. ph. XI, p. 769. Petrus autem neque rex, neque iudex fuit civilis. Paulò sanè propius scopum verborum Christi tetigit B. Hunnius in Comm. super h. l. Cui ligare idem est, quod peccata retinere, ut Joh. XX, 23. explicatur, *idque voce legis, quæ clavis est ligans, & cælorum portam claudens omnibus impenitentibus & incredulis. Solvere ipsi idem est, quod dimittere peccata, & cælorum aperire fores, idque ministerio clavis solventis, h. e. Evangelij, ex quo gratuitus Dei favor, omniumque peccatorum remissio pœnitentibus & credentibus annunciat, iisque ingressus in cælum aperitur.* Tropus autem, quem verba, solverè & ligare, subeunt, ex mente B. Æg. Hunnii hic est, *quod per excommunicationem hominibus vincula injiciantur, quibus ab ingressu in regnum cælorum impediuntur, & per absolutionem iterum solvuntur, ut regnum cælorum ingredi possint.*

## §. LXIV.

Frustra autem à Bellarmino in subsidium causæ vocatur locus ex Es. 22. Nam 1.) à significatione materiali unius loci ad significationem eandem in alio loco N. V. C. 2.) Eliakim fuisse summum pontificem, ac Sobnam ei successisse, supponit, nec probat Bellarminus, nec quisquam Sociorum, idque falsum potius esse ostendit Dannhau. Hodom. pap. ph. XI. f. 773. & prolixè Rob. Abbot de suprema Pot. regia præl. 16. p. 219. & seqq. 3.) Falsò supponit, Pontificem

V.T.



V.T. fuisse typum Pontificis Romani. Deinde ex Matth. XXIII. si summa potestas colligitur, sequitur etiam Phariseos & scribas habuisse potestatem summam. Ita dum à sinistra sibi cavet Bellarminus, à dextrà incautus fauciatur. Quæ aliàs in scriptis Rabbinicis & Talmudicis versatissimus Joh. Lightfoot, Anglus in Horis Hebraicis & annotationibus super hunc locum contra Orthodoxorum interpretationem profert ex mente Rabbinorum, ex scriptis Rabbinicis vice versa refutat DN. D. Schmidius all. loco. Quæ etiàm Dn. D. Calovii Bibl. Illustr. N. T. Tom. 1. fol. 328. calculum non merentur.

## §. LXV.

Cæterùm ex hoc ipso dicto colligitur etiàm immediata dependentia, origo & efficacia ministerialis potestatis clavium. Cælum enim & Terra ibi non tam ratione loci, quàm autoritatis & potestatis opponuntur, adeò, ut sensus sit; Quodcunque ligaveritis vos ministri inferiores, mihi seu Christo subordinati, id etiàm erit ligatum (non in futuro, ligabitur) per rati habitionem, cooperationem & confirmationem à mea potestate clavigerâ, supremâ & cœlesti. Vera igitur ligatio ab hominibus facta, debet esse una eademque cum ligatione Dei, & voluntati ejus conformis, ut adeò, deficiente hac conditione, usus clavis sit nullus & inefficax, sicuti fit in usu clavis errante, Pontificibus Romanis præprimis solenni, de quâ integer Tr. Fulmen brutum inscriptus extat. Multò minùs potestas administrandi claves potest esse absoluta, & suspensa à voluntate & arbitrio humano. Implicat, esse subordinatum seu ministeriale tantùm, & tamen absolutum. Similiter exinde contra Calvinianos deducitur, usum clavis non esse meram & nudam denuntiationem, sine efficacia & rati habitione à Deo, uti Piscator contendit, Comm. ad h. l. Nec non objectũ hujus potestatis clavium non esse tantùm universam communitatem, sed etiàm quælibet individua. Loquitur enim Christus de personis, prout in judicium divinum veniunt. Ideoque tam in confessione publica, quàm privatâ cooperatur summus Clavarcha. Relinquitur hinc, veram definitionem Ministerii seu potestatis clavium concinnari posse hunc in modum, ex mente DN. D. Schmidii: *Ministerium clavium est officium potestate præditum ad administrandum, juxta normam in verbo Dei præscriptam, claves Ecclesiæ, efficaciter docendo, aperiendo, claudendog, regnum cœlorum, nec non ligando*



do & solvendo peccatores super Terra, ita ut eadem actione Christus in caelis doceat, aperiat, claudat, ligat, solvat, ministris suis, ut causa principalis cooperans. Hoc ministerium quomodo conscienter sit exercendum, definivere B.D. Balduinus l. IV. cap. X. de Casibus Consc. circa usum clavium, & Dannh. Tom. I. Theol. Consc. part. II. dial. 3. sect. V.

§. LXVI.

MODUS COMMUNICABILIBUS AD COMMUNE EC- (P)

CLESIAE APOTELESMA. ] Talia apotelesmata sunt 1.) controversiarum fidei iudicium 2.) disciplina Ecclesiastica, 3.) Ministerii constitutio, & 4.) determinatio ceremoniarum adeoque tota libertas in adiaphoris. Quod enim attinet 1.) Controversias fidei, praesertim ad synodum delatas, jus suffragii decisivi non soli Praelati maiores vel Episcopi, sed omnes fideles, tam laici, quam Clerici habent. Fidelibus enim omnibus sine determinatione loci & temporis dictum est; *probate spiritus*, 1. Joh. IV, 1. *spiritualis dijudicat omnia*, 1. Cor. II, 15. *Unusquisque nostrum rationem de se ipso redditurus est Deo*. Rom. XI V, 12. Quamquam cum iudicium hoc praesupponat sapientiam in mysteriis & rebus fidei, quae hodie non acquiritur sine studio; ideo ratione qualitatis intrinsecae non sunt omnes aequae habiles ad iudicandum, sed illi praecipue, qui sacris literis operam dederunt: Hinc partes praecipuae quoad propositionem, ventilationem, discussionem & decisionem sunt Doctorum & Pastorum; juxta illud Mal. II, 7. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius*; Ita tamen ut suffragium approbativum, aut negativum, si quid habent excipere, adeoque determinatio finitiva quaestionis, & obligatio omnium ubique fidelium, parendi huic definitioni, pro adaequata causa proxima agnoscat fratres omnes, unanimiter congregatos, qui dicere possint: *Visum est Spiritui Sancto & nobis*. Act. xv, 22, 23, 25, 27. In reliquis enim non per se ad salutem necessariis controversiis, facultas cognoscendi, definiendi & praescribendi est penes doctores & pastores, ita ut approbatio saltem & paritio relinquatur laicis post exceptionis examinationem, & informationem meliorem, uti patet ex processu in determinandis controversiis, de discrimine ciborum 1. Cor. X, 25, seq. de habitu foeminarum, cap. xi, 4, 5, 13, 14. de loco, ritu & tempore sumendi seu Coenam, vers. 20. & seq. Praxin & testimonia

K

nia

III. si  
habu-  
tinus,  
& Tal-  
icis &  
preta-  
e ver-  
alovii

epen-  
celum  
testa-  
os mi-  
gatum  
em &  
Ve-  
um li-  
c con-  
erran-  
e. Ful-  
randi  
uma-  
amen  
n cla-  
c rati-  
c non  
mmu-  
s de  
a con-  
Re-  
vium  
Mini-  
um,  
aciter  
ligan-  
do





nia Ecclesiæ repete ex Gerh. CC. Lib. II. P. II. Art. IV. cap. II. de Assessoribus Concilii. Hülfem. Man. A. C. Disp. XIX.

## §. LXVII.

2.) Disciplina Ecclesiastica consistens in potestate ligandi & solvendi peccatores notorios & scandalosos, seu excommunicatione & Receptione, pertinet ad totam Ecclesiam, cui tribunal aliquod analogicum Christus tribuit, cum dixit: *Dic Ecclesie*, Matth. XIX, 17. Ideoque hæc invitâ, aut insciâ res tanta suscipi non debet, cujus universæ interest, publica exempla publicâ pœna redargui; sed ob certius & superius iudicium, totius Ecclesiæ suffragio decerni debet. Præsertim vero ab hoc jure nullo modo excludi debet Magistratus, qui custos est utriusque tabulæ, Deuter. XVII, 18. Conf. Vedelius de Episc. Const. M. qv. 7. Mich. Haveman de Jure Episcopali Tit. x. Reinking de Reg. sec. & Eccl. l. III. class. 2. cap. 2. n. 30. Interim tamen actus & executio clavis ministerio competit, cui administratio clavium commissa est, Joh. XX, 23. Hinc Paulus I. Cor. V, 4, 5. *Congregatis nobis & meo spiritu, una cum potestate Domini nostri Jesu Christi tradatur satanæ, ad interitum carnis, quo spiritus salvus sit in die Domini Jesu.* Finis ergo excommunicationis non est perditio, sed lucrum animæ. Hinc excommunicatus deferendus quidem est quoad communionis Ecclesiasticæ actus liberos & intermissibiles, non quoad actus necessarios, auditum verbi domini, & religiosam admonitionem: multò minùs, quoad inevitabilem conversationem & societatem politicam. Quodsi tandem in eo manifesta signa appareant pœnitentiæ, ipseque absolutionem submissè petat, à totâ Ecclesiâ per ministrum poterit recipi. 2. Cor. II, 5, 6, 7, & seqq. vid. Balduin. l. IV. cap. x. de Cas. Consc. circa usum clavium, casu IX, & XI. Dannhav. Tom. I. Theol. Consc. p. I. Dial. 3. sect. V. Et in Christeide Prothæan. XI. Meisn. Tr. de Leg. l. 4. f. 2. a. 3.

## §. LXVIII.

3.) Constitutio Ministrorum & Vocatio, plenariè sumpta, ad totam Ecclesiam omnesque status spectat. *Omnia vestra sunt*, I. Cor. III, 21. Actus tamen eam vel antecedentes, vel ingredientes, vel consequentes singulis non competunt in solidum. Nominatio, electio & vocatio per literas conceptas, nec non præsentatio ad examen & probationem comprehenduntur sub jure patronatus, quod jure divi-



no non est determinatum ad certum statum, sed omnibus indifferen-  
ter relictum; Ideoque ex consuetudine vel transactione variat in sin-  
gulis penè diœcesibus. Ordinarie tamen pertinet ad Magistratum  
illius loci, tanquam pars Juris Diœcesani & hyperepiscopici, quate-  
nus est nutritius Ecclesiæ. Es. XLIX, 23. Hoc Jure Constantius Impera-  
tor Episcopatum Romanum detulit Liberio Papæ, Theodosius Juni-  
or in Concilio II. Constantinop. præcepit (vacante tunc sede Episco-  
pali) sacerdotibus in chartam scribere nomina eorum, quos dignos  
censerent, qui ordinarentur, sibi autem uni electionem servavit: Va-  
lentinianus Imp. jussit Ambrosium in locum Auxentii mortui ordi-  
nari. In Imperio Romano Jus primariarum precum habere Impera-  
torem, ex Jure publico notum est. Privilegia Pontificum, si quæ ex-  
tant, arguunt arrogantiam ipsorum, non defectum Juris in personâ  
Imperatoris. Per modum autem juris delegati acquiritur etiam ab  
Ecclesiasticis & plebejis, non tamen sine consensu Episcopi illius loci.  
Modi acquirendi generales sunt dos, ædificatio, fundus. Restrictio-  
nes & limitationes hujus Juris vide ap. Carpzov. lib. 1. Jurispr. Con-  
sist. Tit. 11. defn. 14. & seqq. Conferri etiam meretur D. Casp. Unrath  
de Jure Patronatus, & Reink. l.c.l. 3. al. 1. cap. 9. Cæterum Jus hoc  
Patronatus, cuicumque etiam competat, nihil præjudicat Presbyte-  
rio & Toti Ecclesiæ. Quodsi enim præsentatus non sustineat examen,  
vel plebis testimonium & consensum, repudiari potest. Nam exa-  
men, admissio, subscriptio literarum, ordinatio, pastoribus & pres-  
byteris jure divino competit. Tito data est instructio constituendi  
presbyteros per Ecclesias Insulæ Cretensis, Tit. I, 5. *Attende lectio-  
ni, exhortationi & doctrina: Noli negligere gratiam, quæ in Te est,  
quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii,*  
1. Tim. IV, 14. *Manus cito ne cui imponas, neque communices peccatis  
alienis,* cap. V, 22. Conf. Hüllf. Tr. de Ministro consecr. & ordin. sacer-  
dotalis. Actus autem consequentes, confirmatio, missio, investitu-  
ra, sunt partes juris Episcopalis Magistratui competentis, licet ex  
parte Superintendentibus delegetur. Plebi relinquitur testimonium  
& approbatio. Unde invitæ plebi Ecclesiæ constitutæ non potest ob-  
trudi pastor rationabiliter invisus. *Dispicate ex vobis, fratres, vi-  
ros septem boni testimonii &c.* Act. VI, 3. *Oportet Episcopum IV. re-  
prehensibilem esse,* 1. Tim. III, 2. *& bonum testimonium habere ab extra-*  
neis,



*neis*, v. 7. Vindicias juris plebeji invenies apud Dannhavv. Hodom. Pap. ph. II. p. 848. Prolixius ap. Flacium lib. de Elect. Episcoporum, ubi ex Verbo Dei, scriptis Patrum, decretis conciliorum & Pontificum nec non Historicis demonstrat, electionem Episcoporum omni jure ad Laicos quoque pertinere. Quibus addenda Gerh. CC.L.II.P.II. Art. vi. Alia ratio est de infidelibus adhuc convertendis, quo in casu, quid liceat Magistratui, Domino istius loci, definivit Hülsem. Brev. cap. XIX. n. VI.

## §. LXIX.

Similiter opposita ex auctoratio ministrorum, eorum est, quorum est vocatio & constitutio plenariè sumta. Hæc autem totius Ecclesiæ, vi antecedentium, ex triplici statu constantis, E. & illa. *Adversus presbyterum accusationem ne admiseris, nisi sub duobus aut tribus testibus*, 1. Tim. V, 19. consentit Carpzov. l. 3. Jurisp. Conf. Tit. X. def. CXI. Aliàs vocatio partialiter sumta, non pari passu commeat cum remotione, demonstrante etiam aliis exemplis Dannhavv. Tom. I. Th. Conf. p. 927. Exercitium tamen exauctorationis suppositâ causâ legitimâ, præsuppositis gradibus admonitionis, extra casum criminis atrocioris, prævio consensu Ecclesiæ, committitur Magistratui, à quo pars hæc Juris Episcopalis communiter delegari solet Confistoriis. In propriâ autem persona olim hoc Jus administrabant Impp. Christiani, ex quibus Constantius in exilium misit Papam Liberium, à se institutum, Justinianus Sylverium, Otto vel Johannem XII. substituto in ejus locum Leone VII, de quibus Annales sacri. Interim tamen hæc ex auctorandi potestas per modum pœnæ, non inest tanquam pars seculari potestati, uti quidem Grotius vult de Pot. Sum. Imp. circa sacra, c. 10. p. 307. Poterit quidem princeps impedire, ne in territorio suo ministret, per modum saltem cautionis in casu illo, quem suppeditat Grotius, puta, si quis pastor à plebe rapiatur in materiam tumultus, licet id sine crimine etiam ipsius accidat; non tamen poterit ei honorem ministerii coram tota Ecclesia detrhere. Pars ergo est Ecclesiasticæ potestatis, per unionem cum Ecclesiâ acquisitæ. Conf. B. D. Winckelm. de Jure vocandi ministros, Tom. 3. Giess. Disp. 1. Bald. Cas. Conf. lib. 4. cap. 5. Menz. Exeg. A. C. p. 510. D. Georg. König Cæs. Conf. de Stat. Pol. casu 7. Non audiendus igitur est Tringlandus, qui in diss. de pot. civ. & Eccl. cap. 18.





P. 376. cum legitima potestate Ecclesiastica nequaquam consistere, posse Jus Patronatus, judicat, neque illud à Christo ortum, sed merum inventum esse Pontificium; nec in eo, quod cum Revio qv. 4. contra Vedelium, potestatem vocandi ministros ad magistratū tantum objective, non formaliter pertinere, dicat. Quibus omnibus contradicit ipse Wendelinus l. i. syst. maj. cap. 28. p. 1349.

§. LXX.

4.) Deniq; constitutio boni ordinis, rituum & adiaphorum pertinet ad omnes Status in Ecclesia. Cautè limitanda est hæc potestas, ne in extremum aliquod labamur. Ideo quatuor hic consideranda sunt, 1.) Causa efficiens, legislatrix, improprie sic dicta, cum potius sit reiteratrix legum veterum (Matth. XXI 19, 20. Esa. XXX I 1, 22.) & applicatrix ad hic, hoc & nunc. Talis non potest esse unus aliquis Ecclesiæ status, sed tota Ecclesia, penes quam est Jus Libertatis Christianæ. Quod omnes tangit, ab omnibus etiam merito curatur. Hoc probè intellexerunt pii Reges in populo Dei Tempore V. T. qui reformationem Ecclesiæ suscipientes, non præscriperunt ipsi pro imperio, quicquid sibi videbatur, sed comitia coegerunt, & cum consilio statuum omnium, quod ex re Ecclesiæ fuit, concluderunt, ut constat ex Jos. XXIV, 1. 1. Paral. XIV, 26. 2. Paral. XXXI V, 29. & locis aliis. Idem testatur decretum illud Hierosolymitanum de abstinentia ab esu sanguinis & suffocati. Act. XV, 20. 2.) Forma constitutionum Ecclesiasticarum non est obligatio conscientie directa, ita ut earum transgressio per se censeretur peccatum; sed indirecta, propter contemptum Autoritatis sancientis, offensionem infirmorum, & ordinis turbationem. *Hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam*, 1. Cor. VII, 35. 3.) Objectum sunt adiaphora, quæ expresso Dei verbo nec prohibita, nec mandata sunt, sed pro temporum vel loci ratione mutabili, ut jejunium, usus imaginum, constitutio dierum festorum &c. 4.) Finis est conservatio *εὐταξίας* Ecclesiasticæ, & promotio divini cultus ratione commodioris observationis; Non autem augmentum cultus, Deo per se debiti, multò minus meritum aut singularis efficacia promerendi Justificationem & gratiam Dei. In quas considerationes omnes enormiter impingunt Pontificii, ad statum Ecclesiasticum solum jus hoc rapientes, legibus ecclesiasticis vim obligandi per se & directam tribuentes, illarum numerum

K 3

super





super omnium modum augentes, iisque vim merendi & effectus spiri-  
rituales attribuentes, quos hoc nomine rejicit Aug. Conf. Art. XV.  
Art. abus. V. Ejusdem Apol. Art. VIII. Artic. Schmalc. part. 3. art. 15.  
Conf. Chemnitii Exem. Conc. Trid. part. IV. Exercitium autem hu-  
jus potestatis merito committitur Magistratui Christianâ, cui custo-  
dia legis omnis aliâs est commissa, applaudente praxi Ecclesiæ V. &  
N. T. Plura hæc de re qui velit, adeat Balth. Meisn. Phil. Sobr. part. 3.  
sect. 2. qv. 12. Tr. de Legibus lib. 4. sect. 2. de Legibus Ecclesiasticis.  
Coll. Adiaphoristicum disp. 1. de libertate Christianæ & Adiapho-  
ris. Gerh. Loc. de Mag. Pol. n. 188. CC. l. 11. p. 1. Art. 3. cap. 7. Bal-  
duin. Cas. Consc. l. IV. cap. XI. Menz. Exeq. A. C. art. xv. Dannh. Ho-  
dom. Pap. ph. II. p. 657. Dan. Chem. Panstr. Tom. 5. de libert. Christ.  
cap. 11. Wendel, l. 1. syst. Maj. cap. 28. th. 33.

Hæc sunt illa opera mixta, quorum productionem Christus  
sponsæ suæ, Ecclesiæ universæ ex Magistratu, ministerio & populo  
constanti delegavit, singulis cooperantibus, quod suum est. Mane-  
ant Moses & Aaron fratres, ita tamen ut Moses sit maneatque Deus  
Aaronis, & Aaron Propheta Mosis.

## S. LXXI.

(Q)  
Finis Potesta-  
tis Ecclesiæ,  
seu Effectus.

IN ECCLESIAE AEDIFICATIOEM, SALUTEM AETER-  
NAM, DEIQUE GLORIAM] Obtentus finis sive effectus est  
vel proprius, vel communis. Prior vel est internus & intermedius,  
qui h. l. Aedificatio totius corporis & membrorum singulorum. *Da-  
ta enim est potestas non in destructionem* (corporis, attamen munitio-  
num & altitudinum extollentium se adversus cognitionem Dei, 2.  
Cor. X, 5. 8.) *sed in exstructionem*, 2. Cor. XIII, 10. *Data est ad in-  
stauracionem sanctorum in opus administrationis, in adificationem cor-  
poris Christi.* Eph. IV, 12, 16. Externus est æterna salus. Cum Chri-  
stus Apostolis suis dedisset mandatum de prædicando Evangelio, &  
administrando Baptismo, subjungit: *Qui crediderit & baptizatus fu-  
erit, salvus erit.* Marc. XVI, 16. *Paulus incestuosum Satanae tradit  
ad interitum carnis, quò spiritus salvus sit in die Domini Jesu.* 1. Cor. V,  
5. Communis autem Ecclesiæ & Reipubl. imò omnium actionum  
humanarum finis est Dei gloria, juxta illud Pauli Eph. I, 11, 12. *Per  
quem (Christum) & in sortem adsciti sumus, ut simus nos in lau-  
dem gloriae illius.* Et tantum pro hæc vice. Fluunt  
exinde sequentia.



Corollaria.

1.

**C**Hristus in statu exinanitionis fuit verus minister, non tantum in speciem; Et nihilominus Hierarcha. Contra M. A. de Dominis.

2.

Sacerdotium Magistratui non potest competere jure Regio, contra H. Grotium.

3.

Magistratui, quã tali, competit Regimen Ecclesiasticum circa Sacra, seu objective sic dictum: Quã Christiano, etiam formaliter sic dictum, licet externum. Contra Voëtium, Triglandum, Revium.

4.

Ex eo, quod Magistratui, corruptis Ecclesiæ ministris, & officii sui non satagentibus, competit cura emendatrix & correctrix, non evincitur ejus regimen Architectonicum, in sensu Architectonicorum. Contra Episcopium & Arminianos.

5.

Papa non fungitur officio Episcopi Ecclesiastici, sed tantum secularis. Contra Pontificios.

6.

Censura Ecclesiastica non infamat civiliter. Contra eosdem.

7. Ra-

ctus spi-  
rt. XV.  
art. 15.  
em hu-  
i custo-  
æ V. &  
part. 3.  
iasticis.  
liapho-  
7. Bal-  
nh. Ho-  
Christ.  
hristus  
populo  
Mane-  
e Deus

TER-  
tus est  
edius,  
. Da-  
nitio-  
ei, 2.  
ad in-  
cor-  
Chri-  
o, &  
us fu-  
radit  
or, V,  
aum-  
Per  
u-



7.

Ratio, quod Status Evangelici non accedant ad Rom. Ecclesiam, non est, quod necesse habeant restituere Bona Ecclesiastica, cum eadem in tali casu & possint retinere, ex mente Augustini Gibbonis de Burgo in Luthero-Calvinismo-Reconciliabili f. 318.

8.

Clavis solvens vel ligans nunquam errat, sed Minister.

FINIS.

Emendanda.

Fol. 17. lin. 17. pro ecclesiastica lege *ecclesiastica*. f. 19. l. 12. pro *typis*, l. *typus*. f. 20. pro §. XIV, l. XVI. f. 20. l. 6. pro Matth. XI, l. XIX, 18. f. 21. tit. pro FRMA, l. FORMA. lin. 9. pro Habuerunt, l. *habuerunt*. fol. 22. l. ult. pro gubernat, l. *gubernet*. f. 24. l. 3. pro *neglexurum*, l. *neglecturum*. l. 30. pro *Et si*, l. *Et si*. f. 33. & 34. tit. pro RELATIVUM, l. *Causa efficiens*. f. 36. l. 31. pro *insepabilem*, l. *insepabilem*. f. 42. l. 8. pro 1. Cor. XVI, 3. l. Act. VI, 3. f. 43. l. 21. pro *institutæ*, l. *constituta*. f. 53. l. 25. pro *mittimus*, l. *mittimus*. f. 68. l. 12. post verba: *Ipsa tamen vocatio, adde, & segregatio*. Reliqua B. Lectoris attentæ industriæ commendantur.





00 A 6344

ULB Halle 3  
002 847 086




Reho

W/A









GUBERNANTE CHRISTO  
*Unico Ecclesiæ Hierarchà, Monarchà,  
 Clavarchà,*  
 DISPUTATIONEM THEOLOGICAM  
 DE  
**POTESTATE  
 ECCLESIAE,**

Ex indultu  
*Reverendissimæ Facultatis Theologicæ*  
 Sub MODERAMINE  
 DOCTORIS - THEOLOGI  
**DN. GEORGII LEHMANNI,**  
 SS. Theol. Prof. Publ. Consistorii Elector. ac  
 Ducal. Assess. Ad D. Nicolai Superintendentis, ac  
 Facultatis suæ p. t. Decani  
 Mæcenatis, Præceptoris, Patroni ac Hospitis sui  
 exoptatissimi, filiali observantiæ cultu ætatem usq;  
 devenerandi,  
*Solenniter habebit*

**M. CHRISTIANUS Goffkuntz /**  
 Sagano-Silesius.

A. & R.

Ad d. XV. Sept. Ao. M. DC. LXXVI.

H. L. Q. C.

LIPSIAE, LITERIS COLERIANIS.

